





Numero Septenar
Græca Ecclesia
INSCRIPTION











KW
383
K 16
1 2 3

27



JOHANNIS Vander WAEYEN

SERMO

ACADEMICUS
DE
NUMERO
SEPTENARIO

HABITUS

Ipsis Kal. Jun. Anni CIↃIↃCXCV.

Quando Iterato

ACADEMIÆ RECTOR PUBLICE

RENUNCIARETUR.

SUBJECTA SUNT NONNULLA

DE

SEPTEM PERIODIS

N. TEST.



FRANEQUERÆ

Apud JOH. GYZELAAR, Illustrium Frisiæ Ordd. atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCXCVI.





EXCELLENTISSIMIS. ATQUE. ILLUSTRISSIMIS. HEROIBUS.

D. GEORGIO. BANFFI.

D. LOSONCZ.

INCLYTI. TRANSYLVANIÆ. REGNI. ET. PARTIUM. REGNI. HUNGARIÆ. EIDEM. ANNEXARUM. GUBERNATORI. COMITATUUM. ILOLOS. ET. DOBOCENSIS. COMITI. ARCIS. COLOSWAR. CAPITANEO. UBIQUE. SUPREMO.

D. NICOLAO. A. BETHLEN.

INCLYTÆ. TRANSYLVANIÆ. REGNI. CONSILIARIO. INTIMO. REGNI. ARCHI-CANCELLARIO. COMITATUUM. THORDA. ET. MARAMAROSIENSIS. COMITI. UBIQUE. SUPREMO.

DEDICATIO.

EA jam pridem exhibere voluiſtis affectus erga Academiam noſtram, meoſque qualeſcunque conatus ſpecimina, Viri Excellentiſſimi atque Illuſtriſſimi, ut committere non potuerim, quin, publica, grati animi teſtificatione, agnoſcerem, ac celebrarem. Dudum eſt, ex quo alumnos veſtros, &, quos favore ac gratia proſequimini, Almæ Franekeranæ, tanquam fidelisſimæ nutrici, ſanantibus ſermonibus imbuendos, commiſiſtis: quibus reducibus de honeſtis ſtationibus proſpicere non negligitis. Inprimis cum tantopere ſe vobis commendet Theologicè ex limpi-

dis

dis ſcripturæ hauſta fontibus, quam heic ſedulò inculcari, ita eſtis perſuaſi, ut ne ipſe quidem livor ullas alias de noſtra inſtitutione cogitationes in animis excitare veſtris unquam potuerit. Exiguum eſt, quod Veſtris Nominibus decorare volui opuſculum, ſed Rectoris officium videbatur, qualemcunque occaſionem captare, qua univerſæ Academiæ nomine, vos Heroes Illuſtrisſimi honorificè compellaret. Non diſplicebit aut SerenisſimoNaſſaviæ Principi, aut Præpotentibus Friſiæ Proceribus, hunc laborem, qui ipſis ceteroquin ex more debebatur, iis devotum Viris conſpici, quorum celebritas & de

Ecclesiis merita & in Academiam Frisicam favor ipsis jam dudum innotuit & arrisit. Valete Viri Illustrissimi & de Patria Vestra difficillimis hisce temporibus, de causa Dei, de studiis melioribus optime mereri pergite. Dabam Franekeræ Pridie Eid. Februar. CIↃIↃCXCVI.

Nominum Vestrorum Viri Excellentissimi atque Illustrissimi Cultor Observantissimus

JOH. Vander WAEYEN.

SCRIPTURÆ DISCIPULIS S. in C. J.

INdies luculentiora in gentium monumentis, deteget, cælestis veritatis rudera, quisquis, priscæ Catecheseos veritatibus probe imbutus, ad eorum scrutinium accesserit. Luculenter id suo exemplo probatum dederunt Viri nonnulli Illustres, Augustinus Steuchus Eugubinus, Serranus, Gerh. Joh. Vossius, Gales, Pfannerus, Huetius & alii. Quos vellemus diligentius consultos ab iis, qui, turpissimo errore, ex gentium sentina primum derivanda passim somniant, ea, quæ, ex sacro fonte limpidè prolapsa, impuro excepta vase, deinceps fecibus permixta, ad posteros devenere. Verum, ut dicam quod res est, sunt homines, qui, quam aperto Marte oppugnare non audent, eam per cuniculos pe-

tunt Verbi divini Majestatem. Operationes Angelorum, toties totiesque in Sacro Codice memoratas, ex turpiter interpolata Platonicorum Dæmonologia accersendas, adeo ut Spiritus Sancti amanuensibus, imo ipsi Patris sapientiæ sermonem adscribant, cujus vera significatio ex lacunis Philosophorum repetenda sit, nunquam in animum induxissent ut statuerent, si Theologices, Vetustissimorum Patrum, minus fuissent ignari, aut saltem istoc tempore memores. Certè tum verba, tum res ipsæ, quæ apud Mosen de Angelis reperiuntur, talia sunt, ut si, iis probe excussis, post factam cum reliquis tam Veteris quam Novi Testamenti auctorum, collationem, Platonem inspexeris, deprehensurus sis, non Mosen aut alium ullum Spiritus Sancti amanuensem, nedum Filium Dei, πλατονίζειν, *sed Platonem* Μωσαΐζειν, *juxta vetus Doctissimi Ecclesiæ Doctoris effatum, cui gentilis Numenius consentit, quando exerte ait,* Platonem nihil esse nisi Mosen, pulchrè Græ-

cè

cè loquentem: Heſych de Viris Illuſtr. in Numenio. *Imo plagium Platoni exprobrat, aſſeverans ea, quæ de Deo &c. ſcripta reliquit, a Moſe ſuffuratum eſſe. Profectò non ad Platonis mentem Scripturam, ſed ea quæ Plato, aut Platonici, aliive Philoſophi, de hoc aut ſimili argumento ſcripto conſignarunt, in ſenſum Moſis unice & divinorum vatum flectere omni ſtudio niterentur. Et obſecro quæ ratio naturalis, quæ idea nobis innata ſuggerere potuit Platoni, aut ulli Philoſophorum,* I. *eſſe ſubſtantias* ἐσίας *quæ nec Deus ſint nec homines,* II. *eaſque intelligentes & volentes, unde & intelligentiæ dicuntur Ariſtoteli, eodem ſenſu, quo Dæmones, à* ידע *derivato vocabulo: quod Plato ipſi Deo per Barbaros i. e. Judæos, acceptum refert.* III. *agere Dei negotia apud homines, hominumque viciſſim apud Deum.* IV. *illos ab aliis vocari Angelos* V. *Unum eſſe qui appelletur* ἔρως & ὁ λόγος VI. *Per quem omnia*

 ſint

ſint condita atque etiamnum regantur ac gubernentur, VII. qui ſit Pater pulchritudinis. VII. Cui Dæmones ſubjiciantur VIII. Unde & audiat ὁ μέγας Δαίμων, ὁ μέγας ἡγεμὼν Δαιμόνων, Θεῶν πρῶτος & Πρεσβύτατος. IX. Quem Deus μητίσατο in mente ſua produxit. Qui genitus ſit. Et ſit una trium ὑποστάσεων in Deitate. Potiſſimam virtutem ſuam exerens in purgandis animabus á ſordibus corporis, IX. Quin etiam appelletur Ἀρχάγγελος.

Quis talia attenta mente conſideret & ita obfirmato erit adverſus veritatem animo, ut agnoſcere manifeſta priſcæ veritatis veſtigia detrectet? Quis non manibus palpet, hæc ex Hebræorum Synagogis in gentium Scholas dimanaſſe. Archangelum vocant Hebræi, qui & Angelus audiebat & quidem Angelus Aſſertor, Angelus Interpres, Angelus Fœderis, Angelus facierum. Hic Hebræis locutus eſt verba vivificantia, hunc cœlitus loquentem audivit Iſrael, ſtipatum Myriadibus Angelorum. Hic in-

ter

tercedit pro peccatoribus. Ab hujus intercessione omnis peccatori ſalus: & quæ plura addi poſsent, in Scripto Vernaculo fuſè deducta ac confirmata. Ille Angelus eſt ὁ λόγος; *perquem omnia facta ſunt; verum de eo nobis alibi agendum erit.*

De Numero Septenario ſimile quid demonſtrari poſſe cum putarem, arripui publicè de eo dicendi occaſionem & feci periculum; quo ſucceſsu, videat Lector. Orationis legibus heic non ita obſervatis, Sermonis Academici nomine comparet Diſſertatio. Neque etiam, quod Oratorum eſt, affectus ciere propoſitum fuit, ſed veritatem indagare. Veritatem certè, nec inutilem, nec auditu injucundam.

Et quandoquidem hic Sermo mihi ſponte & ultro offerre videbatur occaſionem nonnulla proferendi, quæ de Septem temporis, Novi Teſtamenti potiſſimum, Periodis, in promtu habebam, inglorio licet, haud inutili tamen, ut ſpero, labori horas aliquot impendere

ſatius

ſatius exiſtimavi, quam ut non omnibus oſtenderem haud ulla in re minori ſpecie Scripturæ Filiis novitatem exprobrari, quam in hac materia. Miraberis Lector, jam ab initio Chriſtianiſmi in Eccleſia audita eſſe, quin & inprimis repetita atque inculcata ab iis, quos Deus excitavit, ut ſe maſcule opponerent Papatus tyrannidi, idolatriæ & ſuperſtitioni, ea, quæ, obtentu novitatis, non audienda, iniquiſſimi hodie cenſent rerum arbitri. Pariter videbis quantam Eccleſia in deperditis, hominumque manibus excuſſis aureis deceſſorum noſtrorum ſcriptis, proximè præterlapſi potiſſimum ſeculi, jacturam fecerit. Carmini Sermoni præfixo locum denegare nolui, tum quod amem ac venerer auctorem, tum quod rerum ſeriem, vaticiniis ſacris delineatam, ſuccincte, nec inconcinno metro, exhibeat. Brevi in lucem daturus Cantici Canticorum & Cantici Moſis carmine Heroico venuſte & luculenter elaboratam paraphraſin. Vale in Domino.

Ad

Admodum Reverendo, Clarissimo,
Doctissimo VIRO,

D. JOH. Vander WAEYEN

SS. Theol. Doctori, ejusdemque facultatis in Academia Franequerana Professori Celeberrimo, in lucem edenti Sermonem Academicum

DE

NUMERO SEPTENARIO,

Habitum Kalendis Juniis 1695. *cum Recturam ejusdem Academiæ iteratò capesceret.*



Empora perpetuo monstrant currentia motu
Regnorum fluxas instabilesque vices.
Ulla nec innumeris humana potentia sæclis
Permanet, ast subito præcipitata ruit.
Quique videbantur contingere sidera celso
Vertice, mox lapsos ima Barathra trahunt.
Utque leves abigunt per inania flabra vapores,
Utque acus in gyrum mollior aura rotat;
Sic quatit excelsas levis inconstantia moles,
Regna, potestates, robora, vimque rapit.
Non tamen incerto fluitant hæc omnia casu;
Sed Nemesi, rebus quæ jubet esse modum.
Præsidet hæc cunctis Divina potentia regnis;
Hoc levat, hoc pedibus, cum volet illa, premit.
Infinita regit totum Sapientia mundum;
Temperat, & justo tempore quæque parat.

Visaque

Visaque in Assyrio moderamina summa Colosso
  Numinis imperium sic statuentis habent.
Sic Caput Auriferum primo sibi subdidit orbem,
  Et rudibus populis jussa timenda dedit.
Eripit Assyriis rerum molimina Medus;
  Græcia Medorum turgida sceptra rapit.
Denique se cunctis Romana potentia terris
  Indidit, & summum gessit in orbe locum.
Sceptra triumphatis infert victricia regnis,
  Imperioque premit solis utramque domum.
Ast lapis interea celso de monte recisus
  Crescit, & in vastum vertitur ipse jugum.
Ipse caput Statuæ, pectus, ventremque, pedesque
  Conterit; hæc ventus pulveris instar agit.
Montibus eversis telluris opaca dehiscant
  Tartara, sed nullis motibus ille ruet.
Obteget hæc tandem moles altissima terram;
  Temporis huic statuit metula nulla modum.
Pulsibus horrendis commota aliquando vacillant
  Culmina, & interitum quassa tremore timent.
Omnis at absumit proprias violentia vires,
  Omne repercusso verbere robur abit.
Sic gens sancta Dei variis exercita fatis
  Jam dolet adversis, jam cluit illa bonis.
Jamque metu cruciant habitata draconibus antra,
  Durius innocuam sors truculenta premit.
Jamque trimphantem devictis hostibus orbis
  Conspicit, & lætam pacis oliva beat.
Scilicet hæc sanctis instinxit Vatibus olim,
  Numinis hæc bonitas noscere fata dedit.
Nec satis est sparsos palatim hic carpere flores,
  Ordine concinno cuncta videre licet.
Pars hic nulla deëst, nihil hic pars ulla requirit,
  Uniit ast Domini singula certa fides.
Postque Redemptoris deletos morte reatus,
  Et Patris æterni præmia parta throni,

Gens

Gens patefacta Dei ſepteno ſchemate mundum
Ordine continuo fata futura docet;
Fata futura docet ſeptem firmata Sigillis,
Explicat & totidem famigerata Tubis.
Jam nitidi Moderator equi diademate cinctus
Provenit, & certo cuſpide corda ferit.
Orbis ad extremos verbo penetrante receſſus
Pergit, & innumeros ſub ſua jura trahit.
Mox facies mutata fuit, crudele theatrum
Panditur, innocuo ſanguine terra rubet.
Fuſorumque pio tellus macerata cruore
Proventu Dominum fertiliore beat.
Dumque Deo tandem dant ſceptra trabalia Reges
Sub pennis Aquilæ libera Sponſa fuit.
Ebria divitiis, faſtuque elata ſoporem
Carpit, & obduci ſentibus arva ſinit.
Perditione potens Thais Babylonia ſenſim
Surgit, & in populos improba ſceptra gerit.
Legibus humanis ſtudium ſolenne negantes,
Fluminibus, laqueis, enſibus, igne necat.
Clara reformato rediit poſt nubila mundo
Tempora lux, tenebræ mox abiere polo.
Jamque fatiſcentem fulgenti lampade terram
Luſtrat, & invitis hoſtibus alta micat.
Major at exoritur lapſis anguſtia rebus
Fœnus ad impurum cum Tyrus alta redit.
Ultor adeſt Dominus, ferit hoſtes vindice dextra
Sanctorum penitus deficiente manu.
Iſacides mundi geminos diſperſus ad axes
Credit, & ad Dominum gens tremebunda venit.
Fulgida majeſtas illuminat undique gentes,
Omnia terrarum regna JEHOVA tenet.
Sic ſacroſancta Domus ſeptem ſuffulta columnis,
Perpetuoque Dei ſtat Sapientis opus.
Cernere ſic Sterilem ſeptemplice prole beatam
Jam licet, & placido Conjugis ore frui.

Sic Lapis ante oculos Josuæ septena retorquet
Lumina; sic septem fontibus exit aqua.
Sanctus & igniferas vestigia dirigit inter
Lampadas; & septem sidera palma tenet.
Denique si libeat geniti cunabula mundi
Pendere, quodque Deus grande creavit opus;
Non minus è tenebris lumen fulgere coruscum
Incipe magnifica voce Redemptor ait.
Efficit hic totidem magnis sua jussa diebus,
Agminibusque suis regna beata parat.
Ultima mundani veniet dum meta theatri,
Et pia gens superas vivet adepta plagas.
Magne Vir hæc Latio sonuit Suadela lepore
Cum tibi Palladii credita cura fuit.
Tersaque mellifluæ movit facundia linguæ
Quemlibet, ut semper mente tenere velit.
Jamque remansuris eadem libet edere chartis,
Ne situs æternum pignora tanta tegat.
Quam bene! Sic sanctis studium sublime Prophetis
Crescit, & immotæ relligionis apex.
Munere proque novo reddens Ecclesia grates
Vive, ait, atque vige, cresce, viresce magis.
Nascentesque abeant ventura in sæcula libri,
Et commune diu sis maneasque bonum.

CORNELIUS SCHELLINGER,
Eccl: in Winsum.

SER-



SERMO ACADEMICUS
DE
NUMERO SEPTENARIO.

Academicæ Civitatis Proceres, Collegæ Honoratissimi. Ejusdem Mæcenates, Fautores atque Amatores non unius Ordinis Nobilissimi, Amplissimi. Vosque Laudatæ jam Civitatis Cives Spectatissimi, Lectissima studiosorum corona ad quævis præclara adsurgens Juventus.

VT ut considerationem omnis quanti, signatè quidem illius quod in numeris consistit, Mathematicos potissimum spectare haud ignorem Auditores Ornatissimi, non tamen de NUMERO SEPTENARIO in præsenti locuturus, falcem in alienam mittam segetem. Diversa enim unius rei pertractatio est. Hinc, ut de reliquis numeris, ita & de hocce alia prorsus diceret, qui mihi hoc momento laureatos Academiæ fasces tradidit Vir Clarissimus, Matheseos Professor Inclytus; alia mihi, cui verbi Divini interpretatio ante omnia incumbit, de eodem disserenda erunt.

Nimis certè crebra illius numeri mentio fit in sacro codice, quam ut à Theologo negligatur, quin imo sedulo expendi non dignus judice-

tur. Nec ſæpe tantum eundem memorat Spiritus Sanctus, verum & ratione ita ſingulari atque emphatica, ut, quæ, toties repetiti SEPTENARII genuina ratio ſit, atque unde ortum trahat, & quid potiſſimum ſignificet, accurata indagandum videatur inquiſitione. Adeoque, licet de numero SEPTENARIO verba facturus ſim, Auditores, utilia tamen vobis & momentoſa polliceri audeam, quibus non uni Scripturæ loco lucem largiter adfundam.

Pronas obſecro aures præbete & animos, faxo, quod præfiſcine dixerim, ut, de SEPTENARIO, exiguo temporis ſpatio, diſſerentem audiviſſe, veſtrum pœniteat neminem. Precor autem, ne, tanta de hoc argumento promittentem, in Italicæ Philoſophiæ ſectatorum caſtra, leviter tranſiiſſe Theologiæ Profeſſorem metuatis.

Pythagoras Samius, hæreſeos illius Coryphæus, a diuturna non minus, quam docta & bellè curioſa peregrinatione redux, cum patriam, *Polycratis* tyrannide opreſſam reperiret, aut, quæ Plutarchi ſententia eſt, eorum *qui tunc Samum incolebant oſcitantiam ac negligentiam in diſcendis literis* averſatus, aut forte negotiorum mole preſſus & avocatus, ea, quibus ſtudia turbantur *devitans*, *ludo*, quem aperuerat, relicto, *Crotonem in Italiam* conceſſit, ibique Scholam aperuit, in quâ ea, quam, variis in locis impigro labore, coacervaverat do-

doctrinam, coram ingenti atque undequaque confluente corona Professus est. Cui doctrinæ, nomen *Italicæ*, postea adhæsit, non quod isteic nata, sed, primum tradita sit, atque inde in alias gentes terrasque propagata.

Multum cum iis altercari, qui, non *Pythagoræ*, sed illius præceptori *Pherecydi* inventæ illius Philosophiæ honorem deferunt, nec operæ est pretium, nec hujus aut loci aut temporis. Id unum præterire non possum; quod *Laertius Diogenes*, ad quem forte, cum *Varrone* Belgico *Vossio*, provocent viri summi, hâc in parte non ipsos tantum, verum & se deserat, quando in procemio, paulo ante hæc verba, ἡ δὲ Ἰταλικὴ οὕτω, Φερεκύδης Πυθαγόρας *Pherecydi Pythagoras* successit, exertè φιλοσοφίας δὲ δύο γεγόνασι διαδοχαὶ, ἥ τε ἀπὸ Ἀναξιμάνδρου καὶ ἡ ἀπὸ Πυθαγόρου. Testes in promtu sunt, tum peregrini, iique non proletarii, sed magnæ auctoritatis homines, *Cicero*, *Plutarchus*, *Plinius* & alii; tum domestici, iique omni exceptione majores, *Clemens Alexandrinus*, & *Hipponensium Episcopus* πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων *Augustinus*, quorum testimonio fretus, hujus doctrinæ, si non inventæ, collectæ tamen & aliis propositæ atque inculcatæ gloriam *Pythagoræ* auctori intrepidè adscribam & vindicem.

Italicæ autem Philosophiæ pars non minima erat, ut recte *Apulejus*, *numerorum admirandas vices, & Geometriæ solertissimas formu-*

las noviſſe. *Stobæus* alibi, *Numerorum diſciplinam maximi videtur feciſſe Pythagoras.*

Pro *vices* apud Apulejum *vires* legendum eſſe rectè conjicit Vir Doctus: *neque enim qualemcunque Arithemeticam aut, qualis vulgo recepta eſt, verum eam innuit, quæ ad ſacra pertinet ac divina, quæ occultas numerorum facultates explicat, quæ denique ſecretiſſimam eorum continet Philoſophiam.* Quod eo tamen ſenſu accipiendum non eſt, ac ſi in iſtac ſapientiæ parte ſubſtiterit ſenex *Samius*; (ſic merito nuncupo, cum octogeſimum ætatis annum, teſte *Diogene*, attigerit) ut ut enim *Mathematicam* nuncupaverint *Eſotericam* & præcipuam Philoſophiæ Pythagoricæ partem, majoribus ea tamen pariter intenta, κάθαρσιν docebat ac τελειότητα: quarum illa *purgat à malis, ſeparat à materiâ & corpore, liberat à vinculis & carcere; hæc perficit, euehit, & reportat ſurſum. At Mathematicam dixere, non quod diſciplinas contineret Mathematicas, cum potius doctrinam de natura continuerit ac Deo, verum quia, more Mathematicorum, ex cauſis ſuis ac principiis per certas demonſtrationes omnia probabant.* Sunt verba Viri Docti artes Mathematicas veram judicantis ad ſuperiora viam. Hinc Gellius, *his, ſcientiæ ſc: Matheſeos, ſtudiis ornati, ad perſpicienda mundi opera, & principia naturæ adſcendebant.*

In quorum tractatione ita verſabantur, *ut quæcunque ſimpliciter ſenſuique communi convenienter docuiſsent, peculiari ratione, ac convenienti vitæ ſectæque ſuæ explicaverint.* Talis erat ſymbolorum omniumque ἀκουσμάτων interpretatio quædam, quam *Jamblichus* vocat ἴδιον τῆς αἱρέσεως τρόπον καὶ ἀπόρρητον itemque Πυθαγορικὸν *id eſt talem, qualem ſoli ſciebant, uſurpabantque Pythagoricæ Philoſophiæ perfectiſſimi ſectatores, reliqui omnes ignorabant. Talis omnium Mathematum, figurarum, numerorum expoſitio* ſecreta *& ad res humanas pariter, ac naturales divinaſque accommodata, cujus pars* θεολογία Πυθαγορικὴ κατ' ἀριθμῶν. *Doctrinam* intelligit, *quâ Pythagorici rationem numerorum referre ad divina, & ex ipſa horum indolem exponere ſatagebant.* Hinc θεολογίαν κατ' ἀριθμῶν memorant non tantum, verum & θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς. Imo qui jam ad interiora & ipſum Pythagoræ conſpectum admiſſi erant, *Mathematici* dicebantur, oppoſiti ἀκουστικοῖς, quorum erat, dogmata ſapientiſſimi Præceptoris ex epoptarum ore ſilentes recipere. Epoptæ *Pythagoræi*, reliqui *Pythagoriſtæ* tantum dicebantur. Non ſecus atque, *Atticos* ab *Atticiſtis* ſeu *Atticiſmum* diſcentibus atque affectantibus, toto, quod ajunt, cœlo differre notat Vir quidam Eruditiſſimus. Præter *Gellium*, *Clemens* ὁ Στρωματεὺς nos idem docet, *Pythagoræ*, inquit ille, cum familia-

 ribus

ribus erat duplex conjunctio, vocans quosdam *Acusmaticos*, alios vero *Mathematicos:* nim: *genuinos & veros discipulos;* qui jam in ipsum quasi adytum admittebantur, ut evaderent τέλειοι & θεωρητικώτατοι quemadmodum à *Jamblicho* nuncupantur.

Ex quibus omnibus, meo quidem judicio, palam fit, non recte Pythagoræ mentem accepisse eos, qui potissimam doctrinæ ejus partem, præter, nescio quæ delira & futilia de Numeris dogmata, fuisse nihil opinantur.

Neque ipsos Veteris Ecclesiæ Doctores heic à malè explicatæ summi Philosophi sententiæ labe, immunes ego quidem dixerim. Utpote qui ea, quæ de Arithmetices & aliarum Matheseos partium, ad superiores disciplinas tanto accuratius addiscendas utilitate dixit, ita accepere, ac si, nescio quam abditam ipsis numeris virtutem tribuere, Doctrinæ Pythagoricæ apex esset & nucleus.

Justa rerum proportio & accurata ad invicem relatio magni momenti res est, quæ, haud probè notata, ingens evadit rerum maximarum cognoscendarum impedimentum. Certe *Deum omnia in mensura, numero & pondere disposuisse* verba sunt sapientis. Accedit alius scriptor Apocryphus, auctor Libri qui Quartus Ezræ temerè inscribitur; *in statera ponderavit seculum, & mensura mensuravit tempora, & numero numeravit tempora.* Nec abludit

dit Jeſaias, quando id, quod in omni opere divino elucet, exercitio Juſtitiæ ſingulatim adſcribit hac phraſi, *ponam judicium in pondere, & juſtitiam in menſurâ.* Certe Deus nutu ſuæ voluntatis ita non creavit tantum, ſed *fecit* omnia, ut res quælibet tanta ſit, quantam, tum entitatis, ſit vocabulo Barbaro venia, tum perfectionis, tum extenſionis ratione, fore, apud animum decreverat ſuum: *totque eſſent animalia, tot aliæ creaturæ, tot arbores, tot flores, tot arenæ, quot voluit, ut exiſterent, numerat ſtellas cœlorum, ſuiſque eas nuncupat nominibus,* ait Pſaltes, imo *capillos capitis noſtri in numerato habet.* Denique *in pondere*, ut pariter unumquodque habeat *ſuam gravitatem, ſuum locum, ſuum ordinem.* Omnia ergo plane ſuis conſtant numeris, appenduntur ponderibus, menſuris diſcreta ſubſiſtunt. Hinc *Menſura in omnibus optima*, ſeu, *Neandro* Interprete, *Modus in omnibus optimus eſt*, Pythagoræ in Carminibus aureis γνώμη. Abſit igitur Auditores, abſit, ut, neſcio cujus anilitatis ac futilitatis accuſemus, hominem ipſis Sacris literis convenientia docentem. Idem id eſt, quod probè animadvertit Vir inter Gentes maximus: id eſt, quod numerorum & proporitionis numericæ ratione concepit, ſuiſque propoſuit Philoſophus, qui, Joſepho teſte & *ſapienter de Deo* docuit & multa *ex Moſe in ſuam* tranſtulit diſciplinam. Rectè hominis mentem explicat Πολύγραφος

Jeſuita à Lapide. *Pythagoras omnia quæ fiunt. numeris conſtare aſſeruit, ex eorumque harmonia & concentu univerſa generari. Eſt autem numerus*, ait, *extenſio atque actus ſeminalium rationum in unitate regnantium, numerus præterea eſt in divina mente conſiſtens, à quo & ex quo omnia componuntur & permanent, ordine quodam indiſſolubili invicem diſtributa. Pythagoram* igitur magiſtrum ſecuti Pythagoræi *cenſuerunt omnia fieri per numeros: hoſce enim rebus omnibus dare harmoniam & concentum pulcherrimum: Deum ergo mundum hunc numeroſa & ſummè concinna proportione adminiſtrare inſtar citharædi, qui citharam ad numeros ſcitiſſimè pulſet, ac ſuaviſſimam efficiat harmoniam & melodiam.* Hæc Plato, inprimis in Timæo, imitatus eſt, hæc ex Platone Eccleſiaſtici ſcriptores Veteres; ſed, verum ſenſum non adſecuti, cuncta deinceps in eum contorſere, ac ſi inertibus neſcio quam virtutem numeris Philoſophi tribuerent. Quod cum & à Platone factum crederent, facile & hic cum aliis Platonicorum erroribus ipſis adhæſit. Id revera committentibus quod Pythagoræ adſcripſerant perperam.

Quam communis ille ſit & vetus error, ex Johannis Pici Mirandulæ & Concordiæ comitis Apologia videmus. Luberet audire hominem, qui JOVIO *Phænix ingeniorum* audit & SCALIGERO *monſtrum ſine vitio*, niſi ad alia oratio properaret. Hilarium ad partes vocat &

Hie-

Hieronymum, imo Rabanum Maurum librum de virtutibus numerorum conſcripiſſe idem memorat. Mirum quod vetuſtiſſimorum non meminerit, Jrenæum puto & Juſtinum Martyrem limpidis verbis Samium iſtiuſmodi, non monſtra dicam ſententiarum, ſed nugamenta temere improperantes.

At, quod ſtupendum eſt, vix quiſquam eruditorum, qui etiam dum averſari figmentum videtur, non in eundem impegit lapidem, in numero ipſo neſcio quam ſibi fingens perfectionem, Ambroſii verba ſunt.

Bonus Septimus numerus, quem, non Pythagorico & ceterorum Philoſophorum more, tractamus. Non Pythagoricorum more, at *bonus* tamen, lepide id quidem. *Numerus Septenarius*, ſunt verba *Olimpiodori*, *venerabilis eſt & perfectus cenſetur*. Quin & *quod Septenarius numerus Deo charus & Myſticus fuiſſe videatur* probare ſatagit ſummum Academiæ noſtræ Ornamentum *Joh: Druſius. Videtur hic numerus à Deo electus & probatus præ ceteris. Vocatur numerus plenitudinis & perfectionis: item numerus Myſticus, de cujus Myſterio & proprietate videndi ſunt Hieronymus, & Auguſtinus de Civitate Dei.* Quæ omnia & ſingula ineptiſſimè *Septenario*, ut mero numero, tribuuntur. Egregie *Indus* ille apud *Philoſtratum Apollonio*, duo deviginti ſapientum, quos coram intuebatur, numerum carpenti, ὅτε ἡμεῖς,

ἔφη, ἀριθμῷ δουλεύομεν, οὔτε ἀριθμὸς ἡμῖν, ἀλλ' ἀπὸ σοφίας τε καὶ ἀρετῆς προτιμώμεθα. *Neque nos, inquit, Numero ſervimus, neque Numerus nobis, ſed pro ſapientiæ, & virtutis modulo honoramur.* Imo nos idem de noſtro adſeveramus. *Non ſanè Septenarius* vel tantillum in ſe aut perfectionis habet aut ſanctitatis.

Verum ſi liceat qualemcunque meum de hiſce judicium interponere, erraſſe putem ad unum omnes, & alieno prorſus ſenſu excepiſſe dicta Pythagoræ tam Eccleſiaſticos quam profanos.

Niſi forte Magum fuiſſe ſuſpicio hæreat: artibuſque imbutum infamibus, talia de Numeris eorumque virtute effudiſſe. Phliaſius Timon γόητα *præſtigiatorem* appellare non veretur. Et, ut dicam quod res eſt, impuræ Magiæ quin apud Perſas operam dederit, vix videtur in ambiguo eſſe. Certum eſt inquit Doctiſſimus Conringius. A multis illius criminis inſimulatur. *Sunt qui ajunt*, Apulejum auditis, *Pythagoram doctores habuiſſe Perſarum Magos, ac præcipue Zoroaſtrem.* Non quem vulgaris recipit opinio ſed Oromaſi filium: notat hoc *Rhodiginus in Lect. Antiquis.* Verum nec deſunt, qui id ab ipſo amoliantur. Ut ſe cunque hæc res habeat, numerorum ſaltem auxilio eam artem exercuiſſe nemo ſanus dixerit. Divinationi & prædictionibus deditum fuiſſe auctor eſt *Laertius* in procemio, verum ad exemplum & juxta methodum

dum eorum, qui *Deos ſibi apparere, talia aperientes, fingerent*. Ad *Varronem* provocat *Auguſtinus*, ut qui divinationis quodam genere, à *Perſis* imbutum *Pythagoram* fuiſſe, adſeveret, ſed *adhibito ſanguine perhibentem* dicit *inferos ſciſcitari*. In mentem incidit id quod ex Ariſtophanis Scholiaſte didicit Rhodiginus: nimirum ſcripſiſſe Pythagoram ea, quæ luberet, in ſpeculo, moxque literis ad Lunam orbis pleni obverſis, ſtanti a tergo, tanquam ſi in ipſius Lunæ diſco exarata eſſent ſpectantibus commonſtraſſe. Lunam Diis Infernalibus accenſitam novimus. Unde conjicio diverſis verbis idem Rhodiginum velle, quod Auguſtinus; ut, quod ille de Luna narrat, tantundem ſit, ac quod alter nuncupat *ſciſcitari inferos*. Jure igitur hæc eodem reſpicere ſuſpicor, quo ea, quæ ex Auguſtino audivimus. Cum *Noctiluca*, quicquid fere ab omni ævo Magorum fuit, potiſſimum rem habuit. *Hanc quoties* eclipſin patiebatur, toties incantationibus cœlo deduci credentes, cymbala pulſabant, ne Magas incantatrices audiret: quod apud hodiernos Perſas hodieque uſuvenire, ex itinerario *P. de la Valle* videre eſt. Medeæ Ovidianæ & Ariſtophanis mulierculæ Theſſalicæ mores, huic ſuperſtitioni dudum præluxere. At, quod Pythagoram longius ab illo ſcelere abfuiſſe palam facere videtur, eſt id, quod *Nemeſius* putat, *Hebræis* nimirum præceptoribus, hac quoque in parte, uſum fuiſſe.

Quid

Quid audio? *Hebræosne* novit, eosne audivit *Pythagoras*? Imo vero, cum Hebræis, ipsi commercium, ab iisque doctum fuisse, dudum alibi evicimus, &, nisi brevitati studerem, ex gentibus *Hermippum* & *Malchum*, seu *Porphyrium*; ex nostris *Theodoretum*, *Clementem Alexandrinum*, *Origenem*, *præter Nemesium*, aliosque heic testes *producere* in proclivi foret.

Pedem aliquantulum figo Audit. lucemque aliquam tanquam per rimulam videre videor. Lucem, cujus auxilio ingens difficultas facili negotio solvatur, veraque ratio illius, quod, toties totiesque a doctis secus acceptum, Samioque Seni, crimini datum legimus, indagetur. Dicam quid velim Auditores & dicam paulo pressius. De Numeris multa *Pythagoras*, ex ipso *Plato*, qui *Philolai Crotoniatæ* librum de numeris centum minis, etiam in rei familiaris difficultate, mercatus dicitur, nec illi tantum, verum omnis Academicorum Schola passim. Ex qua, ut multa alia (*hæretica idearum figmenta* inprimis memorat *Tertullianus*) sic & hæc de numeris *Pythagoræ* doctrina, a non uno de primis Ecclesiæ Doctoribus, mutua accepta fuit. Illis non minus, quam gentilibus, nescio quæ Numerorum Mysteria, *Pythagoræ* auctori adscripta, ad ravim usque crepantibus atque inculcantibus.

Verum, ad sacra delato, occasio nascitur libere dicendi id quod sentio, nimirum jam dudum in animum induxi, in hisce Pythagoræ millies mil-

milliesque explosis, de numerorum virtute, sic audiunt, nugis, vestigia esse sacræ & antiquæ veritatis.

Quod ubi de Numero Septenario palam fecerim, faciles vos mihi in reliquis promitto Auditores. Vel eo, quod huic uni, præ omni alio, maxima tribuat ac præclarissima, tum ipse *Pythagoras*, tum quotquot ejus sectatores inter gentiles audiunt, aut dogmata, per *Platonicos* propagata, in *Christianis* sunt amplexi.

Philostratus quidem in vita Apollonii *Tyanei* numeros nonnullos recensens, qui Sectæ, de qua nobis sermo est, in honore sint, præ aliis, non exertè memorat *Septenarium.* Verum haud nos movet auctoritas hominis, qui, censentibus Viris emunctæ naris, fuerit *omnium, qui unquam historiam conscripserint, mendacissimus. Quaternarii* quoque magnam à Pythagora rationem habitam esse, ex eo apparet, quod *quaternionem Lucianus* τετρακτὺν appellet τὸν μέγιστον ὅρκον αὐτῶν, ἢ τὸν ἐντελῆ αὐτοῖς ἀριθμόν. Quibus similia de eodem tradit *Ocellus Lucanus*, *Archytas Tarentinus* apud Laertium *Ucellum* vocat, venerandæ antiquitatis scriptor, ipsius *Pythagoræ* auditor, in libro, admodum *eleganti Scaligero*, ex quo ipse *Plato, Aristoteles* & *Philo Judæus* plura desumsere. *Quid porro de numero quaternario dicam? potestas ejus ut sit miranda, illud potissimum facit, quod consensu tacito gentes fere omnes præcipuum Dei nomen*

quatuor modo literis enunciant, quæ res citra divinum afflatum non videtur potuiſſe contingere,... porro quaternarium Pythagorici numerum omnem vocabant, *Rhodigini* verba auditis Auditores & conjecturam,

Quæ licet vera ſint, noſtram tamen de Septenario, præ aliis memorato, ſententiam minime ſollicitant. Idoneum teſtem vultis? In promtu eſt *Macrobius*, ipſi *Rhodigino*, *autor excellentiſſimus*, *& vir reconditiſſimæ ſcientiæ*. Hic autem data operâ confirmat, id quod de *Septenario* diximus: *Fatebimur*, inquit, *nullum alium numerum tam varia eſſe majeſtate fæcundum*. Sexcenta ſanè de hoc numero tam à profanis quam ab Eccleſiaſticis auctoribus prodita, exiguo labore congeri poſſent, niſi recenſum heic prolixiorem inſtituere minus oportunum exiſtimarem. Inprimis poſtquam diligentiſſime id argumentum jam olim pertractavit *Philo* de mundi Opificiis, *Martianus Capella* & *A. Gellius*, in Veteribus: in recentioribus, *Bungus* in Libro de Myſteriis Numerorum, ut & poſt ipſum, maximamque partem ex ipſo *Meurſius* in Denario Pythagorico; *Carolus* in A. Gellium; *Rupertus* in prologo Obſerv: in Florum & alii.

Deus primam illam temporis periocham, qua & facta omnia primæ creationis opera ſunt, & cepta ſancta quies, Septenario dierum, complexus numero, anſam dedit, numerum illum toties

toties totiesque memorandi. Inprimis cum in septem illorum dierum historia, majoris longe, gratiæ operis, delineatio sit atque adumbratio: in quibus non novam creaturam tantum; verum & tempus, quo ea perficienda erat, periodosque temporis destinatas operi, tanquam in tabula contueri datum est. Ad illud illustre divinæ bonitatis facinus Mosen passim respexisse, mihi quidem ita videtur certum esse, ac id quod certissimum. Instituti quoque post sex dies, Sabbati, luculenta apud ipsum mentis est, Magnum profecto veræ pietatis arcanum! ad quod crebra Septenarii mentione, prophetæ passim allusere.

Opportune igitur accidet Auditores, si scripta veterum adeamus eaque notemus, quæ ad ipsam scaturiginem, quam me detexisse putem, manu quasi ducere videntur. In ipsis gentibus reperio quæ mentem ad divinum illud principium evehant. Quid obsecro sibi vult, quod in Somnio Scipionis apud *Ciceronem* reperimus, *qui numerus*, de Septenario loquitur, *omnium ferè rerum modus est.* sic nonnulli legunt, alii & novissimè elegantissimus, & doctissimus Gronoviades *nodus.*

Quid autem, sunt verba *Martiani Capellæ*, Auditores, *te Heptas veneranda commemorem? Quæ naturæ opera conformas?* & paulo post, *Minerva* est, cujus ex *Jovis* cerebro nativitas, divini consilii opus, totam rerum universitatem, haud

haud inconcinnè effigiare potuit. Lyram ἑπτάχορδον *Osiridis* huc quoque certâ ratione referri posse, ex *Oedipo* dicam an *Davo* potius *Ægyptiaco* videre est, totidem quippe instructa nervis: qualis ea quoque est, quam *Apollini* tribuit *Macrobius*.

Ut Judæum gentibus jungam *Philonem* saltem de primo rerum ortu cogitasse, ubi ea, quæ de Septenario notatu digna sunt, congessit, verba ejus luculentissime edocent. *Septenarius in honore est etiam apud virtutum amantissimum Mosen, qui ejus pulchritudinem inscripsit sacratissimis legis tabulis. Et hoc est quod, à se ipso non dissentiens vates, Sabbatum Hebræorum septimum quemque diem, quietem nominat; non ut quidam putant, quia post sex dierum spatium populus abstinebat à consuetis operibus, sed quia septenarius numerus, tam in mundo quam in nobis; confessione omnium, habetur pacatissimus & à seditione, bello, contentione alienissimus.* Quin & *Pythagoram* in Septenario ad Deum Opificem conscendisse, idem *Alexandrinus Judæus* affirmat. Imo *Septenarius Pythagoræis imago* dicitur *factoris*.

Et sanè *Pythagoræ* cum *Judæis* seu in *Ægypto* seu alibi versanti, hujus mysterii nihil prorsus, innotuisse, ego quidem minimè crediderim. Inprimis cum & ab *Ægyptiis*, quos procul dubio frequentavit, de eo erudiri potuerit.

Ajunt,

Ajunt, *Theodoreti* verba refero, *non ab Ægyptiis ſolum, cum eſſet in Ægypto, ſed & ab Hebræis didiciſse ea, quæ ſpectant ad verum Deum. Atque hæc quidem Plutarchus narrat Bœotus: narrat & Porphyrius ille qui contra veritatem debacchatus eſt, Numenius præterea Pythagoræus & alii complures*, Pherecydem Syrum, Samiumque Pythagoram, Thaletem Mileſium, ac Solonem Athenienſem, Platonem denique illum antea memoraverat. De Platone Serranus, poſt enumerata plurima veritatis ſpecimina, ſparſim in ejus ſcriptis reperiunda. *Hæc vero Platonem, ex Judæorum, id eſt, Moſis & Prophetarum doctrina hauſiſſe, omnis erudita Chriſtianorum doctorum vetuſtas cenſuit; illum vero a Judæorum nomine de induſtria abſtinuiſſe, quod odioſum eſſet apud cæteras nationes illorum nomen. Quanquam* & Συρίου & Φοινικίου μύθου vel ἀποῤῥήτου *facit aliquando mentionem, ne ſolos Ægyptios nominare videretur, & viciniam Judeæ deſignaret.* Potuit certè Plato, dum eſſet in Ægypto, cum Judæis verſari. Taceo quæ de Ezechiele forte & Daniele, gentilibus illis viſis atque auditis, a nonnullis notata ſunt. Ingentem certe *Judæorum* catervam, tum temporis in *Ægypto* habitaſſe, nemini dubium erit, niſi qui circa captivitatis Babylonicæ tempora, magno ſe numero in *Ægy-*

tum recepiſſe Judæos turpiter ignoret. *Eorum ibi*, Serranum denuo auditis Auditores, *magna erat copia ex tranſmigrationis* diſſipatione.

Cyrillus altius hæc repetit, mavultque *Moſis* doctrinam in Ægypto cuſtoditam fuiſſe, eamque ita *Pythagoræ* inter Philæonos Niliades verſanti innotuiſſe. Sic ille: *Pythagoras vero & Plato in Ægypto commorati & ibi multorum conſuetudine uſi, ut quidem ambo diſcendi & inquirendi cupidiſſimi erant, Moſis virtutem, quippe quæ apud Ægyptios non in mediocri erat admiratione, haud ignorarunt. Unde & opinor eos rationem de Deo non ineleganter edoctos, præter cæteros, multo æquius de eo ſenſiſſe.*

Accedat *Origenes*, ſic ille alicubi adverſus *Celſum. Fertur & Hermippus in primo de Legiſlatoribus prodidiſſe, Pythagoram ſuam Philoſophiam à Judæis traduxiſſe in Græciam.* Quin imo diſertè *Porphyrius* de eodem Pythagora, *Etiam ad Hebræos acceſſit.* Idem non teſtatur tantum, verum & probat *Clemens Alexandrinus*, *Et in ſumma Pythagoras & qui ſunt ex eo cognominati maximè præ aliis Philoſophis uſi ſunt legiſlatore, ut conjici poteſt ex eorum dogmatibus.* Specimina, in ſolis Aureis Carminibus reliqua, eorum, quæ ex *Clemente* audivimus, veritatem abundè evincunt, en unum de multis Θεῖον γένος ἐστι βροτοῖσιν. Adde quæ in calce ſunt,

Si

Si quis dicet, Deus ſum, præter unum: is debet Mundum huic parem condere & dicere, Hic meus eſt. Nec ſolum condere & dicere, Meus eſt: ſed habitare Ipſe in eo quem fecerit, hic autem ab hoc factus eſt.

Unde obſecro Auditores hæc & talia *Pythagoras*, niſi ex Moſis Schola? Deorum imagines ſculpendas non eſſe, lineis veſtimentis ad Dei cultum uti, nudis pedibus ſacrificare, imo loca ſacra non niſi nudipedes ingredi, quis docuit *Pythagoram*? niſi *Moſes* aut ejus diſcipuli? Unde ipſi circumciſio, quam recepiſſe *Clemens Ægyptius* & *Theodoretus* affirmant, &, quicquid dubitet *Lipſius*, ipſe *Diogenes*, implicite licet, adſeverat. De *Numa*, ante *Pythagoram*, & ejus ſectatore Platone, luculenter id evincit Angliæ pariter ac Literarum Decus *Seldenus* in teſſellato de Jure Naturæ, juxta Leges Hebræorum, Opere. Unde hæc illis dico iterum, unde *Pythagoræ*? niſi ab *Hebræis*?

Pherecydi ſua debere, licet & *Voſſius* tradat & paſſim narretur, haud ita certum eſt, ut de eo dubitari non poſſit. *Tatiani* enim locus de peculiari errore agit, non de univerſa Doctrina *Pythagoræ*, tanquam ſi eam à *Pherecyde hæreditatem* nactus ſit. *Suidas*, quem *Voſſius* teſtem producit, de fama tantum & verbo incerto loquitur, λόγον vocat, ſic ſatis tenuiter. Theodoretus, fateor, *Pherecydem Socratis magiſtrum*

exerte appellat, verum, præterquam quod inde non ſequatur dogmata ſua debere Pherecydi, probe notandum venit, & hac via nos ad eundem fontem duci, quo compellere ſtudeo quotquot heic a me diverſa ſentiunt. Syri nomen gerit Pherecydes: à Syra una Cycladum ſic dictum eſſe ſunt qui conjiciant. At rationem nullam habeo, quam Theodoreto objiciam: ſic ille: *Hic enim*, de Pherecyde loquitur, *Syrus natione fuit, non Athenienſis, non Spartiates aut Corinthius*. Syrus autem ſi fuerit, quis Hebræorum res ignoraſſe? quis, ſi ſciverit, epoptæ ſuo Pythagoræ cœlaſſe, in animum inducat ut credat? Nec, quod urget *Scheferus*, doctiſſima diſſertatione de Philoſophia Italicâ, quiſquam *Pherecydis* vocavit aut doctrinam aut dogmata, quæ *Pythagoræ* fuere. Uno ore Samio a veteribus vindicantur.

Ut ut ſit, ea ſaltem à *Pherecydè* audire potuit, quæ *Hebræos* conſulendi in ipſo deſiderium excitaverint, ſaltem à Judæis doctum eſſe omnis clamat antiquitas. In caſſum huic contra nititur *Spencerus*, quando *Apollonium*, cui crimini vertebatur linea veſtis, introducit ad *Pythagoram* provocantem, tanquam auctorem hujus inſtituti; ex verbis ſane elici id haud poteſt: θεῖε Πυθαγόρα, κρινόμεθα γὰρ ὑπὲρ ὧν σὺ μὲν εὗρες, ἐγὼ δὲ ἐπαινῶ. *Divine Pythagora judicamur enim de iis quæ tu quidem inveniſti, ego autem laudo.*

Eâ enim ratione mentem deinceps ſuam explicat, ut illud *reperire*, non ſit primum excogitare, ſed aliunde primum arceſſere; Exerte enim eâdem pagina, à γυμνῆς Αἰγυπτίων, id eſt, à *Sacerdotibus Ægyptiorum*, non, ut habent verſiones à *Gymnoſophiſtis*, eorum enim in Ægypto non erat ſedes, ſed à Sacerdotibus ea didiciſſe, & primum *Græcis* moribus commiſcuiſſe *Apollonius* fatetur: quod alibi idem *Spencerus* & adfirmat, & urget.

Animadverſione dignum eſt & multum huc confert, ipſum *Pythagoram Tyrium* fuiſſe. Ex *Neanthe*, non *Euanthe* aut *Eanthe* ut vitiosè, apud Hieronymum, abſque ulla hæſitatione id refert Theodoretus. Cujus Euanthis tanto major eſt auctoritas, quanto plures de veteribus ipſius tanquam teſtis idonei meminerunt. *Clemens*, *Porphyrius*, *Jamblichus*, *Heſychius Mileſius*, *Athenæus*. Patrem ſaltem Mneſarchum Syrum ἐκ τύρρȣ τῆς συρίας dicit ipſe *Malchus* ſeu Porphyrius in Vita Pythagoræ. Adeo ut vicinorum placita ignoraſſe dici debeat, ſi Judaica ignoraverit: Moſaicâ quoque doctrinâ non delibutum hominem, aut, de primâ hebdomade, de Sabbato, de Septenario toties totieſque obſervando, nihil prorſus edoctum myſteria autem iſti involuta cortici, multo minus aſſecutum, qui fieri potuerit, ut Septenarium crepaverit toties, imo reverenter paſſim habuerit,

mihi quidem, pro ea qua ſum ingenii tenuitate, ita mirum videtur, ita abſurdum, ut potius ab Hebræis doctum, ſaltem Hebræorum dogmatum cognitionem aliquam nactum fuiſſe nullus dubitem.

Ipſum *Septenarii* vocabulum nonnihil lucis & roboris hiſce adfert, cum in omni ferè lingua Hebræam prodat originem; notat id in doctiſſimo Etymologico *Martinius*, poſt ipſum quoque Voſſius & alii, ignoravit autem vetuſtior ille Etymologus, quando ἕπτας à σέβω derivat, ac ſi σέπτας tantundem ſit ac veneratione dignus. Utique non σέβασμα hic in vocabuli ſignificatu, ſed in re ipſa cernitur. Et ea quidem, quam ſacer *Septenarius* tot in ritibus obſervandus, ut primam reſpicit originem. Nec iſtæc ratio fugit paulo perſpicaciores, *Itaque ut in hominibus memoria mundi creationis conſervaretur, ideo in divinis ſcriptis diſpoſitum eſt, ut Septenarius præ cæteris præſtabilior numerus reperiretur.*

Et certè *in ſeptem diebus volvitur totum tempus*, ait *Theodoretus*. *Divinitus*, hæc *Scaliger*, *inſtitutus eſt numerus dierum* SEPTENARIUS, *qui ad omnem civilis anni ſolaris rationem commodiſſimus eſt*; &, *ut dixi, neſcio quid* θεῖον *habet*.

Quantum vero hæc de *Septenarii* Numeri dignitate ſententia per gentes diffuſa fuerit, vix cuiquam ignotum eſſe poteſt, verum & huic

huic de Septenario dierum numero idem, quod iis omnibus, quæ de rebus divinis reliqua in gentibus reperiuntur, contigit: lutulentis nimirum canalibus ducta, turbida & impura ad posteros imo feculosa atque sordida labuntur. Nobis ut ex limpidis fontibus clara ac defæcata fluant omni annitendum est studio. Latuit miseris & de nocte in tenebris micantibus, id quod scire maximè eorum interérat; nimirum in iis, quæ de *prima Septimana apud Mosen* reperiuntur, delineationem fuisse alterius operis & majoris ac melioris hebdomadis. Id autem est, quod ex gentium animis, unà cum promissionis fide, Diabolus dudum penitus evulserat. Deo fere toties nos eo vocante, quoties *Septenarii* in sacris ritibus mentionem facit Legislator.

Novam quippe creationem, totidem quoque diebus conficiendam, animo jam tunc præceperat, æterni Sponsor Testamenti, Filius Dei, is, cui prima merito adscribitur. Novam inquam, sed priori ita exactè responsuram, ut Septenarium quoque, non jam quidem νυχθημέρων, sed majorum, dierum dicam an periodorum, aut temporum numerum, vias Dei paulo diligentius contemplantes, atque inter se conferentes, clarè satis deprehendere & in antitypo reperire queant. Hinc crebra illa, in scriptis quoque propheticis tam V. quam N. Testamenti *Septenarii* Numeri mentio.

Quod qui non rectè animadvertunt, næ illi, *Pythagorâ* forte hac in parte minus gnari, fundamento nullo nixi, nescio quæ non de numeri *Septenarii* perfectione, plenitudine, sanctitate, quibus Deo gratus atque acceptus sit, blaterant, quorum rationem ullam ne cogitatione quidem assequuntur. Christianæ disciplinæ, non exotericis tantum & ἀκȣστικοῖς, verum & esotericis ac τελείοις (vocabulis utor ex *Pythagoræ* Schola translatis, priore, *Paulo* quoque aliisque N. T. scriptoribus, familiari) tam discipulis, inquam, quam doctoribus, præcinente Pythagoræorum choro, alta voce ad ravim usque ea ingeminantibus, quorum in veram rationem atque originem inquirere turpiter hactenus neglexere. At qui fieri potuit, ut tot literati, tot pii homines, nullo argumento fulti, nescio quam numeri perfectionem, a Spiritu Sancto agnitam & doctam finxerint, de origine, ac vera toties usurpati & memorati, nec non in tam multis præscripti atque observati numeri Septenarii, securi prorsus, nedum eam sedulo indagantes ac eruentes. Imo Severus, celebris ille Johannis Chrysostomi supplantator, forte Antiochenus dictus, eo quod a Constantinopolitana plebe urbe pulsus eo se receperat, alias Severianus aut Severus Gabalensis, nisi forte diversi sint, de quo dubitat Combefisius, verum id heic non agimus,

is igitur, quod pejus eſt, adſeverat, Septenarium tubarum numerum & Sacerdotum & eorum Septies repetitum circuitum ὀυδὲν ἕτερον *nihil aliud ſignificare quam quod ſit ab omni parte perfectum.* Hoccine cum ſapientia Dei conciliare potuiſtis Heroes ab omni ævo inclyti? Hoccine convenire Spiritus Sancti ſtylo putare potuiſtis? ut Septenarius, eo quod Septenarius ſit, & perfectionis numerus & univerſitatis & neſcio quid non audiat?

Unus Neotericorum, quantum mihi quidem conſtat, *Cotterius*, hic ſibi aquam hærere & ſentit & fatetur. *Septem Eccleſiæ, Eccleſias omnes in toto orbe Terrarum conſitas referunt. Nam Septenarius numerus eſt univerſitatis, unde id habeat? Quibuſdam placet, quia numerus ille tempus omne commenſurat. Nam Septimana pluribus diebus non procedit. Alii ad Mathematicam cauſam confugiunt: quorum ut conſilium non improbo, ita cauſam illam ipſis perſpectam eſſe non concedo. Certum eſt ſapientiſſima aliqua de cauſa Septenarium delectum fuiſſe, in quo tempus omne volveretur. Sed cauſa illa nos fugit. Neque ſcimus cujus generis ſit: Mathematica, an alia. Hæc Deo relinquamus. Interim, dicemus Septenarium numerum eſſe (quoad nos) univerſitatis: quia maximum dierum ſyſtema inter ſeptem terminatur.*

Verum jam antea nonnullis perſpectum

fuit hujus rei myſterium. Non ſine peculiari voluptate legi quæ habet Elbertus Leoninus, Ultrajectinus, domi nobilis, Juris Doctor, & Mathematicus egregius Sweertio. *Et Sabbathum ſeptimo die eſt, & in vero rectoque ſabbatho quies eſt ſanctitatis in Deo... quia vero hæc omnia ita ſunt in Septenario.. idcirco Apocalypſis hæc totum gratiæ tempus (quod Chriſti eſt ideoque Chriſti hebdomada & converſionis & Sabbathi dici poteſt) in ſeptem... futuri ſtatus ordines partitur.*

At ſolide & verè Theologicè, ut ſolet, Academiæ non minus noſtræ, quam Lugduno Batavæ magnum Decus *Johannes Coccejus. Septem diebus*, loquitur de epulo ſacro, ſed umbratili, *illa fieri debuerunt, ut & expiatio altaris, hoc eſt, figuræ, quæ ab hominibus erat. Non quod in numero Septenario per ſe myſterium ſit, aut quod ullus numerus habeat perfectionem: Nam omni numero poteſt aliquid addi; ſed quod viſum fuit Deo, quemadmodum ſeptem diebus mundum initiare, ita etiam per ſeptem tempora in Novo Teſtamento ultimam patientiam & gratiæ ſuæ ubertatem ad patefaciendum regnum gloriæ adminiſtrare.* Ambroſius alicubi numerum Septenarium tractandi rationem Pythagoricam rejiciens, pariter eodem halitu de prima Moſis Septimana & creationis opere cogitandum eſſe ſuo docet exemplo.

At-

Atque hæc demum vera ratio est A. hæc origo eorum, quæ de *Septenarii* sanctitate, perfectioneque dicta sunt in sacris. Apposite ad hanc rem inter Veteres Basilius Magnus & luculenter. *Et requievit Deus ab omnibus operibus suis die septimo. Dicant igitur Arithmetici, & qui talibus studiis incumbunt, ac ceu magnum quid rei hujus ac numerorum jactant scientiam; senarium numerum mundi creationi esse affinem, eò quod longe fecundissimus sit, multas ex se pariens numerorum species, suisque ipse partibus perfectus existat, ac quæcunque de senario suis in scholis disputationibus Arithmetici garriunt: ac si forte vacat, per sese esse dicatur. Dicant vero & de Septenario, esse in eo quandam sterilitatis labem, ut qui nec alium ex se numerum gignat nec ab alio ipse gignatur. Ac ne multiplici rerum tractatione sermonem protraham, missa, quæ ad vos instituta oratio est, ad ea quæ æqua magis ingenuique animi ac necessaria procedamus. Quod si quis etiam, iis in rebus versatus est, is noverit, harum quoque rerum thesaurum apud nos reconditum esse.*

Septimus itaque dies honore prælatus est, id est, Sabbatum; indeque Septenarius numerus apud Hebræos venerabilis.

Quid ergo sibi vult mysterium? Die septimo dicitur evum hoc complendum; & post hoc ven-

venturum diem judicii, octavum; Hunc itaque diem Septimum existimemus septimo illi diei, consummationis hujus seculi figura respondere.

Horum percrebuisse in gentes cognitionem, ego quidem existimem. Ut jam anili superstitione, non Patres tantum, verum & Pythagoram liberare haud sit arduum. Forte & in aliis simile quid tentari posset. Quid si quaternarius ipsi tantæ dignitatis fuerit, ratione habita quatuor divini nominis literarum? Verum ut a *Septenario* meo discedat Oratio non patitur importunum quorundam obloquendi cacoethes.

Sunt enim, quod dolendum est, homines, qui veram eorum, quæ de numero nostro passim, in typis & vaticiniis sacris occurrunt, rationem, luce sua animos primo intuitu in assensum rapientem, à Coccejo perspicuè indicatam, refutasse se existimant, modo novis inventis adscribere audaculi præsumant. Haud secus ac si id, quod nove detectum ac repertum est, nunquam non malum sit. Cum in studio utique prophetico, non specilegium aliquod, verum magna messis, ulterius adhuc explicandorum, reliqua sit, adeoque nunquam intelligenda, nisi forte vatum carmina sint scrutaturi cœlites. Nova igitur, id est, ab aliis nondum cogitata, quæri, reperiri, proferri debent: aut scripta Prophetarum in cœlum ab-

le-

legari, damnarique ad æternas tenebras. Taceo, quod in fine dierum lux ingens prophetarum ſcriptis, niſi Danielem angelus deceperit, demum inferenda ſit, quæ certe non nova eſſe haud poterit. Utinam, eidem fundamento inædificantes, nova indies ex theſauro cordis proferamus, quæ confirment, quæ ornent, quæ conſumment opus divinitus nobis commiſſum. Verum præterea nova non eſſe, quæ de periodorum ſeu temporum Novi Teſtamenti Heptade in Apocalypſi plus ſemel reperiunda, ab Orthodoxis paſſim docentur, luce Meridiana apparebit clarius, ubi mecum videritis, jam aliquot ſecula elapſa, ab eo tempore, quo, ſummam rei quod attinet, doctrina illa, à piis Scripturæ ſcrutatoribus, qui Papatus tyrannidi ſuperſtitioni & erroribus fortiſſimè ſe oppoſuere, audita eſt atque inculcata. Quin imo tanti nonnullis habita, ut Inquiſitorum potius exquiſitiſſima ſubiverint tormenta, quam ut doctrinam illam tanquam erroneam revocarent.

Martyribus illis præluxere *Joachimus* Abbas. *Teſtem* vocat *fide dignum Voetius*; ſequuntur Frater *Iohannes de Olivo*, *Ubertinus* à Caſali, *Hugo de Sancto Caro Cardinalis*, *Thomas*, ſi non Angelicus, ſaltem *Anglicus*, *Guiljelmus de Sancto Amore*, accedunt, *Aureoleus*, *Coſmas Hortolanus Gagnæius* ſimileſque qui, ordine ferè temporis, inde ab anno Milleſimo ducenteſimo, uſque ad tempus declinantis ſe-

ſeculi proxime elapſi, non interrupta ſerie, hanc veritatem, poſt veteres, docuere, aliique ſeculorum præcedentium Illuſtres viri; quos, jure meritoque, præcurſoribus eorum, qui, propudioſe lapſas Eccleſiæ res, plus quam Herculeo auſu, inſtaurare fuere auſi, *Pleſſæus*, *Flaccus*, *Wolphius* aliique accenſent. Quin imo anno Domini Milleſimo *Ducenteſimo Quinquageſimo Quinto* in Schola Pariſienſi hæc doctrina tanquam communiter recepta obtinuit.

Compendium eorum, quæ ab iis dicta in hanc rem ſunt, paucis complectitur auctor operis, quod *Onus Eccleſiæ inſcribitur.* Capitis inſcriptio eſt, *de ſeptem ſtatibus Eccleſiæ. Quos ſtatus Johannes in eadem Apocalypſi ſub diverſis figuris multifaria repetitione numeri Septenarii diſtinxit atque deſcripſit. Præſertim per ſeptem Eccleſias, per ſeptem ſigillorum apertionem, ac per ſeptem angelos tuba canentes, phialaſque fundentes. Item per ſeptem ſtellas & candelabra, per ſeptem Spiritus Dei miſſos in terram, per ſeptem lampades ardentes ante thronum, per ſignacula, cornua, oculos: item per ſeptem tubas, tonitrua, per ſeptem denique plagas phialaſque.* *Thomæ* verba ſi velitis In Apoc. I. hæc habet. *Septem candelabra, ſeptem Eccleſias Aſiæ deſignant: ſeptem vero Eccleſiæ, univerſitatem Eccleſiarum deſignant, quia univer-*

ſum

ſum tempus ſeptem dierum repetitione revolvitur, quæ tamen unam Eccleſiam ſponſam Dei conſtituunt.

Et tanta fuit hujus veritatis vis, ut nec ferro, nec igne ex hominum animis evelli unquam potuerit. Perniciosam ſibi cenſuit Pontifex Romanus Johannes XXII. & cum ipſo Clerus Romanus, præ omnibus autem Sancti tribunalis adſeſſores. Vir Doctiſſimus atque Integerrimus Stephanus *Baluzius* nobis plura exhibet in primo Miſcell: Tomo. ex quibus de hiſce abundè erudiri poteſtis. Nec modum excedam Auditores, quando Martyrum ſanguine confirmatam hanc de ſeptem temporibus doctrinam adſeverare haud vereor. Inſpicite quæ porrigit Baluzius & mecum miremini, fieri potuiſſe, ut doctrina ita communiter recepta, a viris optimis inculcata, imo ut dixi, martyrum confirmata ſanguine, & in hunc uſque diem tam multis recepta, nova & inaudita audire potuerit; fervideque hodie oppugnari atque falſitatis impuritatiſque argui, quæ igne dudum jam probata dici queat.

At quem faſcium, quem exquiſitiſſimorum tormentorum metu ſufflaminare ſategere veritatis curſum, eum promoverunt imprudentiſſimi Satanæ ſatellites Inquiſitores, tum quoque, quando ad abnegandam veritatem minis ſuis timidiores adegere.

Eludente enim hominum molitiones divina

vina rerum cura factum eſt, ut, eâ ratione ex monachorum clauſtris expulſæ piæ mentes, iis ſeſe junxerint, quorum auxilio propagari ulterius veritas cœleſtis poterat. Hinc carnificum immanium quærelæ, quibus viros optimos gravare apud Johannem vigeſimum ſecundum, bipedum nequiſſimum, non deſierunt. Nimirum quod Serabaitis ſe junxiſſent; qui, metu mortis, eo adacti erant, ut veritati in hora illa tentationis nuncium mittere, ſeque in proſtibuli Romani impurum ſinum recipere ſimularent. *Cathari* præterea audiunt & perfecti & pauperes. Præter alia dicteria, quibus Waldenſium famam proſcindere διαβολὴ ſolebat, & *Sabatatorum* reperio, barbaram vocem quæ jam ſeculo XIII. obtinuit. *Inſabbathati* dicti fuere *Valdenſes*, eo quod unum diem domini ſacrum eſſe voluerint, feſtaque omnia repudiaverint, *Xabatenſes* quoque appellatos reperio. Eſt certè non exigua horum vocabulorum convenientia.

Unde factum videri queat, ut affine nomen *Serabaitarum* impoſuerint illis qui *Sabatati Inſabbathati*, & *Xabatenſes* ceteroquin audiebant. Quo nomine tanto magis digni malevolis videbantur, quantò plures ex cœnobiis Monachorum ad ipſos tranſivere. Nimirum ab aliquot jam ſeculis infame erat *Serabaitarum*, &, ut Caſſiani verbo utar, *reprehenſibile* nomen, utpote qui, ſi eidem Caſſiano hac in parte credatis, eo, quod *ſemet*

ipſos

ipſos à Cœnobiorum congregationibus ſequeſtrarent, ac ſingulatim ſuas curarent neceſſitates, Ægyptiæ Linguæ proprietate Sarabaitæ nuncupati ſint, pariter atque illi, de quibus ad Johannem Viceſimum ſecundum Frater Bonagratia apud Baluzium, qui antris Monachorum relictis, ſibi pie vivere maluere, atque hinc *rebelles*, quæ nominis Ægyptii ſignificatio eſt, ſunt nuncupati. Quin, quod me de conjecturæ qualiſcunque meæ veritate prorſus ſecurum reddit, ipſe ille fratrum κατήγορος *Bona Gratia* ſuos illos Serabaitas & Valdenſes eodem loco habet & in eundem redigit cenſum. Nec immerito, cum de Eccleſia Romana prorſus idem ſentirent, eſſe *carnalem & meretricem magnam & auctoritate & poteſtate privatam*. Hinc *Serabaitarum* hanc ſententiam damnaſſe dicunt Johannem XXII. *non ſicut novam hæreſin, ſed ſicut hæreſin Donatiſtarum & Manichæorum ac Valdenſium*. Ut non malè forte conjecerit, qui, Eccleſiam deſerentes, *Waldenſibus* ſe junxiſſe dixerit. *Ubertinus* ſeu *Ymbertinus* de *Caſali* quid de præcedentibus ſentiat, ex Inquiſitorum pariter actibus docet idem Bibliothecæ Colbertinæ præfectus in ſuis Miſcellaneis.

Plura ſunt, quæ heic ſingulari animadverſione digna arbitror. Imo magnopere fallor, niſi vobis quoque mirum accidat, homines, tot jam ſecula denatos, talia loquentes audiviſſe,

visse. Et Romanam Ecclesiam Babilonem, & horrendam rerum catastrophen ei expectandam, &, signate aperto sexto sigillo, utriusque veritatem omnibus conspicuam fore. Imo mortem subiisse potius, quam ut eas veritates non profiterentur.

Æque stupendum est, eandem de septem temporibus doctrinam in aliis quoque gentibus pariter agnitam, & ore ac scripto propagatam esse, haud secus, ac si hanc recte perceptam animose profiteri, verus esset amoris erga Scripturam, & odii adversus tetram Papatus belluam character. Ad *Jacobum de Paradyso* Germanum, Gallis merito & Italis jungendum, vos ablego Auditores, jam ante duo secula & plusquam dimidium, praecedentibus prorsus similia, scripto consignare ausum.

At in hunc usque diem illibatam ad nos pervenisse hanc doctrinam, id est, de quo Deo gratias agere omnino fas est Audit. O Dei benignitatem! o veritatis virtutem! o verbi cœlestis invictum robur! Verum id haud parum nos confirmat, causæque nostræ patrocinatur, quod sacrarum Literarum ruspatores jam dudum, ex vaticiniis fallere nesciis, non jam septem temporum seriem tantum, verum & stupendam illam rerum conversionem, quam vidit seculum decimum sextum, singulatim præviderint, & certò futuram, non conjecerint, sed, tanquam id quod est certissimum, passim ad-
seve-

ſeveraverint, imo ſanguine obſignaverint ſuo. Ne dubia expectetis Auditores hariolantium aut λοξῶς ſed diſtinctè loquentium verba; clara ſunt, & plana & limpida quæ audietis, eaque Sanctiſſimos Martyres in tormentis & flammis, atque aculeis, & ex fallere neſciis prophetis egregiè vaticinantes.

Sexto tempore Eccleſiæ eſt revelanda ſingularis perfectio vitæ, & ſapientiæ Chriſti, & vetuſtas prioris eſt ſic uberter repellenda, ut videatur quoddam novum ſeculum ſeu nova Eccleſia tunc formari, Veteribus jam rejectis, ſicut in primo Chriſti adventu formata eſt nova Eccleſia, Veteri Synagoga rejecta.

Imo, ne vel tantillum deſit, quod eundem Spiritum arguat, hodie quoque Scripturæ filios ducentem, id unum adhuc deſiderari poſſe videtur, nimirum ut diſquiramus, an & ea quæ ſeptem Novi T. temporibus evenere, cum iis, quæ in Veteri Teſtamento facta ſunt tanquam typis contulerint iidem interpretes. Animos advertite Auditores. Joachimus Abbas ea quæ ſub Veteri facta ſunt Teſtamento, conſiderat tanquam typum eorum, quæ deinceps ſub Novo Teſtamento erant futura. At & alium non infimæ, licet non hujus ſeculi, notæ Scriptorem audite. *In prælibatis quinque ſeptenariis viſionibus elucidatur obſcuritas*

veteris Scripturæ ubi ſeptem Eccleſiæ ſtatus multipliciter ſunt figurati.

Imo ne quidem cum *Septem* diebus primis convenientiam prorſus ignoraverunt. *Ipſæ ſunt & beſtiæ ſexto die formatæ, poſt quas formatus eſt homo ad imaginem Dei, quia poſt has convertetur Iſraël cum reliquiis gentium, & apparebit Chriſti-formis vita & imago Chriſti . . . . ad imaginem Dei cum muliere ex ipſo formata. Beſtiæ enim & reptilia ſunt regna paganorum & ſectæ Pſeudo-prophetarum, quæ ſexto Eccleſiæ tempore, contra ipſam atrocius ſævire permittentur. Jumenta vero ſunt ſimplices ad obedientiam prompti, & ad onera activi. Ordo autem Evangelicus eſt tanquam homo rationalis ad Dei imaginem factus, & ipſe ſubjiciet beſtias & omnem terram, & præerit piſcibus, & avibus, id eſt, omnibus ordinibus tempore quinto formatis.*

At quam abſonum eſt Auditores, eoſdem illos, qui cæteroquin, tum ut amoliantur importunam novitatis improperationem; tum ut veritatis conſtet, atque Eccleſiæ in ipſa Babylone propagatio & ſucceſſio, ita ſollicite indagare ſolent rudera veritatis & ſcientillas minimas: quam, inquam, abſonum eſt, eoſdem, huic veritati crimini vertere, quod a Monachis forte primum eo ordine fuerit propoſita?

Sit verum quod obtendunt, primos has periodos ita clare perſpectas habuiſſe & ex Sacris li-

literis eruiſſe nonnullos in medio Papatus Monachos. Quodnam inde obſecro veritati præjudicium, quod dedecus, præſertim a Monachorum erroribus ſi fuerint & vitiis immunes. Quid? hoccine veritati oberit? Ego quidem illi glorioſum eſſe putem, quod vim ſuam exeruerit in illis qui in denſis cœteroquin Ægypti tenebris oberrabant. Fuerint Monachi; at fuere Monachorum & Monachatus ſui temporis acerrimi cenſores, ne dicam hoſtes infenſiſſimi. Quis ſe putido Euangelii Æterni invento, quis Monachorum ignorantiæ atque importunitati, quis univerſæ denique Eccleſiæ illius temporis vitiis animoſius ſe oppoſuit, quam celeberrima Pariſienſis Academia, plus ſemel Monachos imo Pontificem ipſum non unum maſculè corripere & convincere calamo non minus quam ore auſa? Hanc tamen, de Septem ætatibus ſeu temporibus ſeu periodis Novi Teſtamenti doctrinam eadem amplexa eſt & profeſſa, non ſecus, ac veritatem omnibus verè Catholicis dudum agnitam. Et univerſam Scholam licet non audiremus, nobiſcum eadem profitentem: *Thomas*, *Joachimus*, *Hugo*, *Vbertinus*, *Gulielmus Pariſienſis*, *Jacobus de Paradiſo*, ſanctique illi martyres, quorum jam facta mentio eſt, abunde ſufficerent. Homines licet ſingulares fuerint, non tamen de fæce fuere, aut ita abjecti, ut veritais ab ipſis ex ſacris fortè primum erutæ

nos propter ipſos pudeat. Quid? pudeat? gratias agimus Deo de dono heroibus conceſſo. In albis ambulent & laudibus ornentur in Eccleſia, quotquot, ſanguine madentes, terræ ultimum dixere vale.

Inſultemus Babiloni, tales inſultus paſſæ, eo quoque tempore quo beſtia omnibus dominari videbatur. At habent quod objiciant ſignatè Joachimo Abbati, ceteroquin a Sanctitate atque eruditione noſtris quoque tantopere laudato: verum perperam accuſari, agnoſcit ipſe *Clar: Spanhemii* Filius Fredericus. *Hoſpinianus*, non aſſecutus *Joachimi* mentem, verba de ſexto tempore, juxta Johannis vaticinium, ſcripta, de putido illo monachorum æterno Euangelio ſenſu accepit prorſus alieno. Eadem proculdubio *Guilielmo de Sancto* Amore de ſexto tempore, eadem de Euangelio æterno, ſententia fuit, vel hac ratione id palam fit, quod nemo Monachorum impurum illum partum unquam magis deteſtatus ſit, quam idem ille *Guilielmus De Pariſiis*; niſi quis, non dicam Hoſpiniano, propriis oculis non fidat, verba ejus exhibet ipſe Hoſpinianus. *Jacobus Gruitrodius* idem juxta nonnullos eſt, atque ille quem antea *Jacobum de Paradyſo* dictum audivimus. Hoc ipſi Monachale fuiſſe conjicio nomen, illud proprium. Hinc factum credo, ut *Poſſevinus* aliique Librum de ſeptem ſtatibus Eccleſiæ ipſi non adſcripſe-

pſerint, quod tamen à *Valerio Andreæ* & *Sweertio*, hominem à pietate inſigni laudantibus, factum animadverti. Binominem fuiſſe ſtatuere pariter videtur *Johannes Lydius*, Vir, inprimis in ſequioris ævi ſcriptis verſatiſſimus. Deceſſoris noſtri, ni fallor, ex fratre nepos.

Nec omittendum eſt, quod, ad tempora uſque Reformationis paſſim hæc omnia recepta ſuerint, inprimis iis, qui, præ aliis, diligentius Scripturæ ſtudio incubuere. Certe eos inter qui ante Reformationis tempora Papatus erroribus fortiter adverſati ſunt, quenquam hanc ſententiam repudiaſſe non lego. Quin imo Johanni Huſs divino illi Martyri perplacuit, adeo ut eam tanquam certæ veritatis, ſcripto reliquerit in aureis de Antichriſto Sermonibus. At jam laudatos non idem prorſus de ſeptem temporibus dixiſſe, ſi quis argutetur, is quid aliud evincit, quam, non cæco impetu, aut partium, ſed unius veritatis amore actos ſententiam dixiſſe, ſummam rei quod attinet, eandem penitus.

Nec exiguitas numeri eorum, qui cum ipſis ſtetere, veritati obeſt. Præterquam enim quod temeritate liberos non putem, qui numerum ita intrepidè reſtringunt, cum ſatius ſit cogitare receptam omnibus ferè Scripturæ filiis eo tempore hanc doctrinam fuiſſe: precor ut temporibus Eliæ locutos cogitetis Auditores. At, *paucis placuiſſe qui a Papiſmo alieni*

ſunt, mihi nemo perſuaſerit. *Pignetius certè Marlorato* laudatus, *Franciſcus Lambertus* primus Marpurgenſis Academiæ Profeſſor, *Collado*, *Saskerides*, *Carolus Gallus*, *Brigtmannus*, *Brocardus*, utique numerum faciunt, præſertim ubi addideritis *Alphonſum Conradum Mantuanum. Johannem Baleum*, *à Carolo Regio* Belgicè redditum, *Petrum Artopæum*, *Wiſſenburgium*, *Oecolampadii* honoratum & conjunctum Collegam: at quantos viros, eoſque omnes unius ſeculi, & illius quidem, quo recens fervebat Scripturæ ſtudium. Hæccine tanta raritas eſt, ut habeant quod de paucitate conquerantur neſcio qui novi homines?

Illorum qui hujus ſeculi ſunt, recenſum omitto. Nec *juſto audacius* hanc in rem proferuntur illa nomina. De *Lamberto* non ambiget quiſquis viderit: libri duo exempla in ſuppellectilis meæ librariæ ornamentis colloco. Diſſenſum qui heic nobis objiciant reſponſione indignos cenſeo. Inepte repetunt tritum Papiſtarum obtentum, quo doctrinam & confeſſiones & Catecheſes Proteſtantium gravare ſolent: quid enim magis ipſis familiare eſt, quam diſſenſionem noſtrorum heroum ab invicem crepare! Et certe, ipſorum dogmatum ratione, verum eſt, id quod heic in difficiliorum vaticiniorum explicatione optimis interpretibus temerè admodum objiciunt. *Per omnia*

nia inter ſe non conſentiunt. Sit ita, An de dogmatibus *per omnia* inter ſe conſentiunt, quos tu puros ejuſdem doctrinæ doctores ipſe prædicas? an eadem tibi quæ ſymmyſtis tuis de Religionis Capitibus ſententia non eſt, quoniam *per omnia* inter vos *non conſentitis?* Imo vix reperias quorum non major ſit in doctrinæ partibus opinionum diverſitas, quam tu inter ſeptem periodorum amatores & doctores oſtendes.

Quod autem meticuloſe obtenderant, id ſubdole probare ſtudent, ſententiarum divortium. Dico ſubdolè, quæ enim ratio quod non auctores ipſos inter ſe contendant? quæ? quod ex novitio Jeſuita potius, quam ex ipſorum ſcriptis proponant ea, quæ vetuſtiores, imo & antiquiſſimi de Septem Novi Teſtamenti Ætatibus piè fuere & ſolide meditati? Legitote Auditores quos laudatos audiviſtis de hoc argumento atque expendite &, ſummam rei quod attinet, in unum conſpirare ilico deprehendetis. Unus de Epiſtolis ſolum, alter de ſigillis forte ſingulatim ſcripſerit, nihil id ad rem facit.

Manet, pluribus receptam in Eccleſia tot jam ſecula cognitam, nunquam hactenus oppugnatam, minus, tanto molimine ſubvertendam judicatam eſſe doctrinam, qua ſtatuimus ſeptem in ſacris indicari periodos temporis, quibus decurrant fata Eccleſiæ Novi Teſtamenti. At vereor, ne in molem excreſcat

Oratio. Plura longe de hoc argumento in promtu habeo quam ut præſens Sermo cuncta complectatur.

Quis Auditores Ornatiſſimi, quis inquam veſtrum, non ſapientiſſimam pariter ac diligentiſſimam Dei rerum omnium, curationem atque adminiſtrationem demiretur ac ſuſpiciat, qui veritatem toties totieſque tortam ita cuſtodiverit; ut ſedulo ſcrutatis, in putidiſſimis ceteroquin erroribus, appareant priſtinæ & facies & ductus, ſubverſique adeo ædificii rudera; tandemque, ubi placuerit; denuo ſqualore omni ac pulvere detecto in apricum produxerit, ut Solis inſtar omnibus appareat. Vidimus Moſaicam de ſeptem primis diebus narrationem in nænias verſam ac nugas, eandem nubes diſſipantem in denſiſſimis Papatus tenebris, ſe piorum inſinuantem præcordiis quin tandem tanquam de meridie lucentem vidimus.

Legamus una atque premamus veſtigia eorum, qui, in media Ægypto Linguam Canaan locuti, facem nobis prætulere, cujus luce perfuſi, ad eam graſſemur cognitionis menſuram, qua noviſſima tempora beanda eſſe a prophetis accepimus.

Huc noſtri tendant conatus, huc labores, quotquot adeſtis commilitones Lectiſſimi. Sive doceamus, ſive diſcentium occupemus ſubſellia, nihil obſecro nobis antiquius ſit, nihil in votis magis, quam ut in cognitione pro-

proficiamus & in gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti. Singulatim nobis ante omnia incumbit ut ad rerum viciſſitudines attendamus, eaſque cum Prophetarum vaticiniis quam diligentiſſime conferamus, redemtoremque noſtrum ad capeſſendum regnum properantem, non ſine ineffabili gaudio videntes & precibus ac lacrymis obviam euntes imo ocurrentes ingeminemus Veni ô Domine Jeſu Veni! Tu clementiſſime Deus his votis annue. Sit hæc Academia veritati tuæ, ſit regno tuo ſacra. Sanctifica noſtrorum omnium conatus & ſtudia, ut lux Solis nobis ſit inſtar lucis ſeptem dierum, & nos, qui ex gentibus originem trahimus idonei evadamus, qui, blanda voce, Judæos invitemus, dicentes, veni ô domus Iacob & ambulemus in luce Iehovæ. Sis tu Iehovah Iudex noſter, ſis tu legiſlator noſter, ſis tu Rex noſter, tu ſervabis nos. Tibi trinuni Deo, Patri, Filio & Spiritui Sancto ſit laus honor & gloria in ſempiterna ſecula Amen.

D I X I.

AD

SERMONEM

ACADEMICUM

DE

NUMERO SEPTENARIO

NOTANDA


ATQUE

ADDENDA.



AD SERMONEM ACADEMICUM DE NUMERO SEPTENARIO

NOTANDA atque ADDENDA.



On una mihi conſtat ratio, qua inductus, præcedenti Sermoni Academico pauca ſubjungam. Primo quidem lux adfundenda fuit nonnullis, in ipſo Sermone breviter memoratis, quorum ut plenior exhibeatur enarratio lectoris intereſt. Secundo e re eſſe videbatur, ut nonnulla verba auctorum, quæ ipſi Sermoni non concinnè ſatis inſeri poterant, utpote paulo prolixiora, heic recenſerentur. Inprimis cum paſſim allegentur, Theologorum potiſſimùm ſcripta, quæ in paucorum manibus reperiuntur. Tertiò quoque operæ pretium fore exiſtimabam, ſi, minus paſſim cognitos auctores, ſuis coloribus compendioſe depingerem, ut conſtet qui & quanti fuerint heroes, quibus Doctrina, ſignatè de *Septem periodis*, tot jam placuit, & tradita eſt ſeculis; ne credant Lectores dicteriis, quibus, tum inventores, ut dicunt, tum propagatores illius veritatis ab aliquibus gravantur. Miraberis tot eſſe & tam inſignes Viros, qui, absque ulla ſollicitudine, tanquam ſententiam prorſus communiter receptam, docuêre ſimilia iis, quæ hodie novi homines novis commentis accenſere auſi ſunt. Verba mea quibus addendum quid videtur, ita notabo, ut ſcias, qua pagina, quoque verſu reperiantur.

Pag.

Pag. 5. v. 24. *Pythagoræi*; paulo aliter de hiſce & eorum à *Pythagoriſtis* non tantum verum & a *Pythagoræis* diſcrimine Beroaldus in Notis ad Apul. de Aſ. Aureo L. XI. p. 986. Promiſcue accipit Mirandula Pythagoricos & Pythagoræos Tom. II. p. 655. Quid hac de re incertus auctor apud Suidam, quid Scholiaſtes Theocriti, quid Jamblichus, quem ego ſecutus ſum, hac de re, vide in elegantiſſimi Menagii Notis in Diogenem VIII. 38.

P. 7. v. 21. *Aurea Carmina* Pythagoræ adſcribens, meam non facio litem, quam de eorum auctore movent eruditi. Videri poſſunt. Picus Mirand. Op. Tom. I. p. I. Michael Neander in Epiſt. Nuncup. Carm. Aureis præfixa. Menag. ad Diog. VIII. 7.

P. 8. v. 26. *Pici Mirandulæ.* Sic ille Tom. I. p. 114. *Pythagoricorum ſententia eſt, inter omnia Mathematica numeros, ut formaliores, ita etiam eſſe actualiores. Numeris autem etiam efficientiam & virtutem, tam ad bonum, quam ad malum attribuunt Doctores Catholici. Hilarius, Hieronymus. Quin Rabanus, inſignis Doctor Eccleſiæ, de numerorum virtutibus, ſpecialem librum compoſuit, & obſervare ubique proprietates ipſorum numerorum, invenies ſemper Eccleſiaſticos Doctores etiam quandoque quaſi usque ad curioſitatem, ſi dici poteſt: dum nunc ad binarium duo teſtamenta, duo Cherubin, duo charitatis præcepta, duas primas dignitates, duos primos populos referunt. Nunc ternarii myſterium, in ſuperſtantiali Divinitate, in triduo ſepulchri, in tribus Theologicis virtutibus, in tribus temporibus naturæ, legis & gratiæ, in tribus ſtatibus perfectionis contemplantur.*

☞ Pag. 10. v. 21. Pythagoram Doctores Magos &c. Gabriel Putherbeus in Theotim. pag. 11. *Itaque Magicen didicerant Ephesii, non illam Platonicam & Philoſophicam, quæ nihil aliud eſſe traditur, quàm naturalis Philoſophiæ abſoluta conſummatio, cujus cultor Religioſo ſanctoque vocabulo Magus appellatur. (Etenim Perſarum lingua Magus eſt, qui noſtra Sacerdos vel Sapiens) quæ Platone interprete nihil eſt aliud, quàm* Θεῶν θεραπεία: *quam nec aliquis niſi antè didiciſſet, Rex Perſarum poterat eſſe, vel ipſo veſtro Cicerone teſte: & ex qua tan-*

tanta antiquitus gloria claritasque pene ſemper petita eſt, ut Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, lumina doctrinarum, ad hanc diſcendam navigaverint, peregrinationibus ſuſceptis, hanc reverſi prædicaverint, hanc in arcanis habuerint. Non hanc, inquam, callebant Epheſii, ſed alteram, quæ Dæmonum potentia & verſutiis conſtat, quam tantopere deteſtatur Eccleſia, ſed & ipſi profani ſcriptores infamant. Neque enim temerè Plinius hanc artem aliud appellat, niſi vanitates magicas, niſi artem inteſtabilem, irritam & inanem. Quintus Curtius Magiam non eſſe artem profitetur, ſed vaniſſimi cujusque ludibrium. Apulejus & Apollonius, homines totius orbis fabula, opinionem Magiæ, & Magi nomen omnibus modis deprecantur, & à ſe avertunt. Cedreno *gentis nomen eſt.* Vide Menag. in Diog. I. I.

P. 12. v. 12. A Chaldæis quoque multa didiciſſe, hiſce docet *Picus Mirandulæ Comes* plus jam ſemel citatus. *Origenes vero Diodori Eretrienſis, & Ariſtoxeni Muſici teſtimonio ſcribit ad Zaretam Chaldæum fuiſſe Pythagoram, & ab eo hauſiſſe multa.* Tom. II. pag. 500. Huetius in Obſervationibus ad Origenis Commentaria notat ὑποβολιμαῖον eſſe φιλοσοφουμένων opus, ex quo citantur ea quæ de Zarata Origeni tribuuntur. Vide Menag. ad Diog. VIII. 3.

Pag. 13. v. 17. *Quaternarii &c.* Idem & Picus Tom. II. p. 432. *æmulatæ ſunt fere omnes nationes nomen quatuor literarum, quo divina ſubſtantia exprimitur. Nam præter Hebræos & Græci,* Θεὸς, *& per eam forte Pythagoras quaternitatem jurabat, niſi Tetragrammaton nomen Hebræorum intellexiſſet, ex quorum etiam deſciplina multa eum in ſuam Philoſophiam tranſtuliſſe, Hermippus eſt auctor. Et alibi præterea Pythagoræi veteresque Platonici, & ex Junioribus aliqui ſtudia ſua ad divina transferebant, Pythagoræque illud quaternitatis arcanum, divinam ſubindicare apud illos naturam, ut facilè exiſtimem Ægyptus facit, in qua ille diu verſatus eſt, in qua & plura Moſaica didicit. Didicit & circumciſionem eandemque pertulit, autore Theodoreto, qua etiam circumciſione uti Ægyptios conſueviſſe apud Gentium hiſtoricos legimus, itaque potuit Pythagoras quatuor literarum nomen, quo apud Hebræos Dei eſſentiam ſignificari celeberrimum eſſet, in arcanis habuiſſe, idque etiam confirmari ejus per iſtam quaternitatem Juramento poteſt, ſolitum enim*

per majora se, non per minora jurare: Quare illa quæ de numeris exponere nonnulli tentarunt ea non magnæ ut mihi videtur, efficaciæ sunt: neque enim divinis ad Mathematica, sed Mathematicis ad divina Pythagoras utebatur. Lubet addere alium ex eodem locum, qui est Tom. I. p. 168. *Erit autem hoc quod tale concipimus perfectum, quia illi nihil deerit, qui est omnia: erit sufficiens quia illud possidentibus, nihil deerit, in quo invenient omnia: erit expetendum, quia ab illo & in illo sunt omnia, quæ expeti aliquâ ratione possunt: Deus ergo plenissima entitas, individua unitas, solidissima veritas, beatissima bonitas. Hæc ni fallor est illa τετρακτὺς, id est, quaternitas, per quam Pythagoras jurabat, vocabatque principium semper fluentis naturæ, principium enim, hæc quæ unus sunt Deus, omnium esse demonstravimus: sed & juramus per ea, quæ sancta, quæ firma, quæ divina sunt, quid illis aut firmius, aut sanctius aut divinius?*

Pag. 29. v. 22. *Martyribus præluxere Joachimus Abbas &c.* De iis ago, qui, tempore vigentis Papatus vixerunt; ceteroquin agmen non duceret Joachimus. Fuere enim inter vetustissimos Ecclesiæ Doctores, qui, licet subinde minus liquidè, Fata Ecclesiæ Novi Testamenti ad septem ætates retulêre, ratione habita dierum primæ hebdomadis. Verum ratione & methodo non una: Josua Placæus, vir insigni eruditione, ita instituit, ut novæ Creationis opus potissimum consideret, quemadmodum id perficitur in singulari homine, seu peccatore electo. Et sanè materiam illam luculenter admodum exequitur *in Opusculis magna ex parte Posthumis*, à Disp. II. usque ad V. Simile quid apud Primasium reperio in Apoc. Bibl. Patr. Tom. VI. p. 2. pag. 161. f. *Septem quoque hominis interioris ætates, quibus per gratiam Dei spiritu mentis salubriter innovamur, patres nostri animadvertere potuerunt.* Prolixè satis hac de re *Augustinus de Genesi c. Manichæos L. I. col.* 826. Verum id quod nobis heic potissimum ob oculos versatur, est opus novæ creationis, quemadmodum id perficitur in Ecclesia, ab initio usque ad finem mundi colligenda? Hujus delineationem in opere plus semel jam memorato, factam esse contendimus. Nec negat, quin imo & agnoscit Placæus, sed ita paucis, ut nos hac quidem in parte prorsus destituat.

Cer-

Certum quidem eſt, eos de veteribus, qui putaverunt jam jam præ foribus eſſe diem noviſſimum; quorum ingentem eſſe numerum notius eſt, quam ut probatione indigeat, certum inquam eſt, illos temporum ſeriem, quæ ſeptem primis diebus reſpondeat, in ſequenti tempore quærere non potuiſſe. Id nihilominus conſtat, eosdem in creationis primæ hiſtoria agnoſcere typicam rerum in nova creatione futurarum delineationem, ſed cui præcedentis temporis hiſtoria non item ſequentis reſpondeat.

Quin imo aliqui eorum memoratæ jam hypotheſeos obliti, nonnunquam veritati propius accedunt. Verum illi, qui rerum omnium finem a ſuis temporibus juſto intervallo remotam ſtatuebant, maximam partem myſterium illud Creationis typicæ temporisque ſeptenarii agnoſcunt.

Illud autem diſcrimen probè notandum eſt, quod dierum primæ hebdomadis antitypum ſemel alii, alii plus ſemel; imo bis terve quærendum eſſe nonnulli arbitrantur. Qui ſemel ſeriem illam obſervandam eſſe putant, iterum in diverſa eunt. Alii enim præter hanc unam nullam aliam agnoſcunt, alii vero, licet ſeriem, inde à mundi lapſu usque ad finem, ad ſeptem referant periodos, parilem tamen ſeptenarium ſingulatim denuo ſub Novo Teſtamento agnoſcunt.

Nonnulli exiſtimant, Sex dierum creationem una cum ſequente Sabbatho diei ſeptimæ, ſignificaſſe ſex millia annorum, quos ſequetur Sabbathum, æternùm duraturum. Illorum opinio fuit, una ſerie, opus Novæ Creationis decurrere & reſpondere operi Creationis primæ. Sic Barnabas Epiſt. cum Notis Menardi edita p. 54.

Attendite filii, quid dicit, conſummavit in ſex dies. Hoc dicit quia conſummavit Deus omnia in ſex millia annorum, Dies enim apud ipſum mille anni ſunt. Ipſe mihi teſtis eſt, dicens ecce hodiernus dies erit tanquam mille anni. Unde ſcire debetis quia in ſex millia annorum conſummabuntur omnia. Hactenus Barnabas, Vir, ut arbitrantur, Apoſtolicus. Ad hæc verba Clariſſ. le Moyne in Notis ad illam Epiſt. pag. 848. & 860. ad dictum p. 40. Συντελεῖ Κύριος ἐν ἑξα-

χιλιάσιν ἔτεσι τὰ πάντα] *cum dixiſſet Deum ſex diebus omnia conſummaſſe, aliud ingerit Hexæmerum, nimirum Hexæmerum Dierum Millenariorum, quorum ſex millenariorum ſpatio debeat mundus durare & conſummari, & Deus millenario ſequente quieſcere. Hæc fuit ſententia omnium fere Patrum, ad quam Platonici & Pythagoræi proxime videbantur accedere. Suam vero iſtam doctrinam ab ipſis Hebræis hauſiſſe, nullus eſt paulo humanior, & litteratura Judaica & Cabbaliſtica imbutus, qui hoc facile non ſibi perſuadeat. Quod poteſt confirmari Teſtimonio Manaſſis Ben Iſraël. Divini Theologi Cabbaliſtæ, quos Plato in Timæo, ſecutus eſt, putant mundum inferiorem, quibusque ſeptem mille annis, cœlum quinquaginta annorum millibus, locum novo factura mundo & cœlo. Hoc tradunt Adamum tradidiſſe Setho, hunc Hanocho, Hanochum Noacho, illum Semo, hunc Hebero, & Hebræorum Patriarchis, poſtea id confirmatum à Moſe, & ſignificari per divinos illos ſex creationis dies, qui repræſentant ſex millia annorum, quia & ait Pſalmographus. Dies Domini eſt mille anni, mille anni in oculis tuis ſicut dies unus. Sic ille Conciliatoris* P. 39. *Quo vero erat acumine Manaſſes, in ſex diebus Creationis myſteria quærit, & eventus, qui reſpondeant ſex diebus millenariis, quibus durare debet mundus hic inferior. Sex primas durationi mundi tribuebant, ultimam vero vel judicio ultimo, vel quieti animarum, vel reſurrectioni. Septimam vocabant ſæculum futurum, ſæculum ſecundum; ſex vero priores figuratas putabant ſex diebus creationis, & his ſex millia annorum durationis mundi repæſentari exiſtimabant.*

Sic enim legitur *Talmud, Tract. Sanhedrin & in Gemara Aboda Sara*, de quodam *Elia* quem Thisbiten aliqui crediderunt, & vaticinatum in hæc verba, *Traditio eſt Domus Eliæ, ſex mille annis mundum eſſe duraturum, Bis mille annis inane erit, Bis mille annis obtinebit Meſſias.* Quem locum quomodo vindicaverit *Joſua Lurki* poſtea *Hieronymus à Sancta Fide*, pluribus enarrat idem Le Moyne. Bibliander conjicit a Chriſtianis ad Judæos manaſſe ſententiam, cujus, in Talmude eſt mentio. Poſtquam Chriſtianorum dicta propoſuerat, hæc ſubjungit. *Admodum autem probabile mihi eſt, Rabbinos Judæorum hinc arripuiſſe occaſionem fingendi traditionem de mundi hujus duratione. Quam retulerunt*

runt ad Scholam Eliæ Prophetæ, ne quid viderentur a Christianis didicisse: eoque titulo reposuerunt in suum Thalmud, hoc est, in barathrum & pelagus mendaciorum. Lactantius Lib. VII. qui agit de vita beata Cap. XIV. p. 694. & 695. *Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per secula sex, id est, annorum sex millia manere hoc statu mundum necesse est. .... Et rursus, quoniam perfectis operibus requievit die septimo, eumque benedixit; necesse est, ut in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur a terra, & regnet per annos mille justitia.* Gaudentius de Lect. Exodi Serm. X. Bibliot. Patr. Tom. IV. pag. 819. d. & g. *Quod enim primum diem dominicum diem nuncupamus sanctum, credentes eum sanctificatum Resurrectione Domini Jesu, expectamus etiam illum verum sanctum diem septimi millenari anni diem, qui adveniet & post illos sex dies, sex millium, videlicet annorum seculi, quibus completis requies erit veræ sanctitatis, & fideliter credentibus in resurrectione Christi. Nam nulla erit ibi pugna contra Diabolum, qui tunc utique detinebitur suppliciis religatus. Nullum certamen contra vitia corporis, quod jam concupiscentiis obnoxium est, erit: nam spirituale resurget corpus, ut Apostolus ait: .... Ille ergo septimus millesimus annus, ut ad propositum caput redeam, ipse erit vere beatissimus dies, quando agonis hujus, quem nunc patimur desinent conflictus, optatam victores requiem capient, ac felici ocio perfruentur.* Hieronymus Epist. ad Cyprianum suam sententiam ita proponit ut una significet eam communem & passim receptam esse. Locum exhibeo pag. 58. seq.

Origenes in Num. Cap. XII. *Diximus etiam in superioribus, quod septem dies isti, septimanam mundi istius designent. In septimana enim dierum, creaturæ totius visibilis substantiæ videntur esse productæ. Tunc enim quæ erant, facta sunt. In septimana vero totius mundi, secreta quadam & Deo soli cognita dispensatione, quæ tunc producta sunt, explicantur.* An Ruffinus horum non interpres tantum verum & auctor aut saltem compilator sit, nostra non interest. Clarissime Gregorius Nyssenus, in verba Faciamus hominem &c. Orat. secunda p. 160. d. *Septimus hic igitur dies septimi illius diei, quo ævum omne perfectum erit, est indicium, & nota.* Idem in Psal. Cap. XIII. pag. 338. b. *Intelligis opinor, ex ipso septenario nu-*

mero, spiritualium cincinnorum sensum. In Ps. 6. p. 968. e. *hujus vitæ tempus in prima illa institutione creatura per unam dierum septimanam completum est. Et paulo post. Septimanario tempore finito, post septimum instabit dies octavus; qui octavus quidem dicitur, quia post septimam existit: numeri vero vicissitudinem in sex non amplius admittit, ... hæreditas autem in Octava dignis reposita atque recondita est.*

Augustinus mundi durationem plus semel sex ætatibus definit. Illustris inprimis locus est in Supplem. Vignerii Tom. 1. p. 48. b. *Quasi primus dies sit in toto seculo, tempus quod est ab Adam usque ad Noë, & secundus à Noë usque ad Abraham, & quomodo jam dividi Euangelium Matthæi, tertius ab Abraham usque ad David, usque ad transmigrationem in Babyloniam, quintus à transmigratione usque ad adventum Domini Jesu Christi. Ab adventu ergo sextus agitur, in sexto die sumus. Et adeo quomodo formatus est homo in Genesi sexto die ad imaginem Dei, sic & in isto tempore, quasi sexto die totius sæculi, renovamur in baptismo, ut recipiamus imaginem conditoris nostri. Sextus autem dies iste cum transierit, veniet requies post illam ventilationem, & sabbatizabunt sancti & justi Dei. post septimum autem, cum apparuerit in area dignitas messis, fulgor, meritumque sanctorum, ibimus in illam vitam, & in illam requiem, de qua dictum, quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* 1 Cor. 2. 8. *Tunc velut ad caput reditur. Quomodo enim cum peracti fuerint isti septem dies, octavus ipse est quasi primus: sic post terminatas & peractas ætates septem seculi transeuntis, ad illam immortalitatem beatitudinemque rediemus, de qua lapsus est homo.* Loca plura exhibet *Menardus* in Epist. *Barnabæ* pag. 199. Addit verba *Germani Constantinopolitani*, quæ omitterem, cum sit sequioris ævi, est enim non ille qui seculo octavo, sed qui seculo decimo tertio floruit, nisi dicta priorum Patrum continerent: *Hippolytus à Roma & Sanctus Cyrillus dicunt in suis de Antichristo sermonibus in anno sexies millesimo quingentesimo futurum Christi adventum.* Ῥώμης an Hippolytus dici queat ex Clariss. Le Moyne discet Lector. Allatius allegat Justinum, Irenæum, Lactantium, Hilarium, Augustinum, Hieronymum, Cyprianum, Chryso-

ſoſtomum, in Euſtathium; qui & ipſe in ſenſum veniat oportet. Barnabæ hanc Epiſtolam abjudicant nonnulli, noviſſimè *Le Moyne*, eidem vindicant *Menardus*, *Voſſius*, *Dodwel*, *du Pin* & alii.

Ut ut ſit, receptiſſiam tamen fuiſſe hanc ſententiam, apparet ex dictis veterum, copioſe citatis à *Menardo* in Notis ad illam Epiſt. pag. 196. & Leone Allatio in *Euſtathii Hexaem*, p. 284. Poſt *Barnabam antiquos Patres paſſim* in ea ſententia fuiſſe notat *Cotelerius* in Notis ad *Chryſoſt. Homil. in Pſal.* haud ita pridem editis p. 1. Ex quibus concinnari poſſet ingens dictorum farrago. Intermediæ ætatis ſcriptores prioribus magno numero accedunt, recenſum ſatis prolixum reperies in Libro qui inſcribitur, *Futur. per Signa Temp. Inveſtigatio* pag. 17. 18. Provocat Vir Clariſſimus poſt alios ad Theophilum Antiochenum, qui de ſex dierum creationis operibus diſtinctis, *noſtris*, inquit, *ſæpe ſupparia* doceat. Notatu digna ſunt *Clementis Alexandrini* verba *Strom.* L. IV. p. 538. de ſeptem diebus, quo inquinamentum à cadaveris contactu adhærens, abluendum erat, eorumque ſignificatione, *ſive ergo fuerit tempus quod per ſeptem quæ enumerantur periodos* περιόδους *in ſummam redit quietem.*

Lubet in hanc rem unius atque alterius verba lectori heic repræſentare. Irenæus adv. Hæreſ. L. V. Cap. XXVIII. *Quot enim diebus hic factus eſt mundus tot & millenis annis conſummatur.* En certas annorum periodos, diebus primæ hebdomadæ reſpondentes. Origenes c. Celſum L. 2. Victorinus in fragmento apud Clariſſimum Cave pag. 103. *quam rem ſeptem diebus iſtis Dominus ſingula annorum millia adſignavit. Sic enim cautum eſt; In oculis tuis, Domine mille anni ut dies una, ergo in oculis Dei ſingula millia annorum conſtituta ſunt . . . verum illud Sabbathum & ſeptem millia anni, in quo Chriſtus cum electis ſuis regnaturus eſt.* Incognitus auctor *Altercationis Synagogæ & Eccleſiæ*, putat in Præfatione Melchior Noveſianus Typographus, vixiſſe tempore aut circa tempus *Caroli Magni.* Sic ille Fol. 20. *Itaque prima dies ab Adamo usque ad Noë, ſecunda dies à Noë usque ad Abraham, tertia dies ab Abraham usque ad David, quarta dies à David usque ad tranſmigrationem Babyloniæ, quinta ad humilem ad-*

ventum Domini nostri Jesu Christi, sexta, quæ nunc agitur, donec mundus finiatur, & in secundo adventu suo Sanctus Sanctorum videatur. Septima in requie Sanctorum intelligitur, quæ vesperam non habet, quia nullus eam terminus claudet.

Alios autem ad octavum tempus referre id quod jam dicti ad septimum, vidimus in præcedentibus. Existimant illi septem dierum antitypum decurrere septem periodis, quam sequatur octava. Verum & heic in diversa eunt. *Elias Cretensis in de Circumcis.* p. 33. Edit. *Combefisii. Vetera novis symbolo sunt, quippe octavus ab Adamo Christus Legislator surgit. Nam Adam, ipse primus legem accepit: tum, Noë secundus: Tertius vero Abraham: Ac Moses quartus. Quintus Legislator David, quod spectat ad regum & scenopegiarum, profanas, inquam, sacrasque conscriptas laudationes. Esdras, post Babylonicam captivitatem secundo ordine, legem moresque nonnullos tradens, sextus venit Joannes Baptista, prædicans populo baptismum pœnitentiæ, ac aquâ mundans, septimus palam Legislator ostenditur. Jesus Christus octavus: de quo magno Legislatore ait Moses: Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus de fratribus vestris sicut me; ipsum audietis. Omnis autem anima, quæ non audierit, Prophetam illum, exterminabitur. Is solus potens, ut quæ etiam à me sancita sunt, à se, ipse impleat, multo Spiritu ab unctione implendus est, ac tanquam Dominus & Creator; quanquam est ex gente vestra; Divina & Spiritualia præscripturus. Etenim ubi quæ sunt legis in carne ejus Sabbatizaverint, fuerintque evacuata, Octava resurrectionis die, mundi totius, ut qui Deus sit; ac non Judæorum tantum sed & Gentium, futurus Legislator est, qui omnes ungat initietque Spiritu Sancto, eosque proprio nomine unctos denominet. Carnales item ac vitiosas affectiones circumcisurus est, ac velut recreaturus ad bona opera, & actiones regni cælorum: tanquam vere magni consilii Patris Angelus; Deus fortis, potens, princeps pacis: pater futuri sæculi. Jes.* 9. 6.

Ambrosius Epist. L. IX. Epist. LXXVI. *Septimus ergo dies legis mysterium significat, octavus resurrectionis.* Adde quæ habet in Luc. Lib. VII. Cap. XI. *regressus ad plebem est Judæorum* sc. spiritus immundus, *quæ forensi & perfunctoria specie compta, animo manet interiore pollutior. Neque enim sa-*

cri fontis irriguo aut abluebat aut restinguebat ardorem; meritoque ad eam redibat spiritus immundus, adducens septem spiritus nequiores se, quoniam in hebdomada legis & octavæ mysterium sacrilega mente commisit. Itaque nobis multiplicatur septiformis gratia, ita illis immundorum spirituum, omnis cumulatur injuria. Universitas enim is hoc numero aliquoties comprehenditur, propter quod septimo die conclusis mundi operibus requievit Deus. Ideo, & sterilis septem peperit, & populosa in filiis infirmata est.

Alii septem tempora ita digerunt, ut post diem demum, aut potius cum die novissimi judicii, octavum sit futurum & ultimum. Quam facile autem sit eos cum præcedentibus conciliare, ex ipsis auctorum verbis unicuique constabit; nimirum priores septimam in æternum extendunt, alii octavam numerant: qua tempus denotant, quod, post confectum opus secundæ creationis, durabit in omnem æternitatem. Chrysostomus in Ps. VI. ex Edit. Cotelerii pag. I. OCTAVAM *vocat eam vitam ac moram, quæ septimam, præsentis nimirum seculi, subsequitur; quam octavam prænunciavit illa diei octavi circumcisio.... In hoc seculo cogita de septimo millenario, & de parte bona Octavæ nempe futura ac permanente vita æterna.* Confer sis Isychium seu Hesychium aut quisquis sit cujus nomini inscribitur Comment. in Levit. XXV. Fol. 151. b. Sic *Le Moyne* lib. cit. p. 867. 875. *Distinguit Diem octavum a septima, seu Sabbatho, quod videtur tantum comprehendere vel ultimum diem judicii, vel animarum quietem post mortem. Nam quiescunt à laboribus, exspectantes Diem resurrectionis, & Diem Octavam, initium mundi novi, & nunquam interituri. Hinc Benedictio in Ecclesia Occidentali, quam Kalend. Januariis, solebant impertiri fidelibus, ii qui Sacro ministerio fungebantur. Omnipotens Deus, cujus unigenitus hodierna die ne legem solveret, corporalem suscepit circumcisionem, Spirituali circumcisione mentes vestras, ac omnibus vitiorum incentivis expurget; exuat vos mortificatione vitiorum, & faciat perseverare in novitate virtutum. Quo sic in senarii numeri perfectione in hoc seculo vivatis, & in septenario inter beatorum Spirituum agmina requiescatis. Quatenus in Octava resurrectione renovati, Jubilei Remissione ditati, ad gaudia sine fine mansura perrennetis, Amen.* His

gemina habet. Hieronymus Epiſtol. ad Cyprianum. *Ego arbitror*, inquit, *ex hoc loco, & ex Epiſtola, quæ nomine Petri Apoſtoli inſcribitur, mille annos pro una die ſolitos appellari, ut ſcilicet, quia mundus in ſex diebus fabricatus eſt, ſex millibus Annorum tantum credatur ſubſiſtere, & poſtea venire Septenarium numerum, & Octonarium, quia verus exercetur Sabbatiſmus, & circumciſionis puritas redditur. Videatur Auguſtin. in Pſal. 6. qui in Titul. Pſalmi ſexti etiam de ſeptimo die, & de Octava multa ingerit myſtica.* Hilarius Præfat. in Pſalm. *Cum in ſeptimo die Sabbathi ſit, & memoria & obſervantia, Conſtituta tamen nos Octava die, quæ & ipſa prima eſt, perfecti Sabbathi feſtivitate lætamur. Celebrata Sabbathi quiete, omnis Chriſti amator Dominicum celebrat Diem, Reſurrectioni Domini conſecratum, & Principem & Conſulem omnium Dierum, quem exſpectans Propheta dicebat. Pſalm. nimir. 6. in finem pro Octava. &c.*

Athanaſius ſermone de Sabbatho; *finis igitur prioris Creationis, ſecundæ autem creaturæ Dominicus dies, in quo veterem renovavit & inſtauravit. Hinc eſt quod tanta cum cura Sabbathum & diem Dominicum celebrarent Veteres. Quia nimirum, erant ſymbola & ſigna Sabbathi cœleſtis, & Octavæ Diei, in qua omnia renovata in æternum confirmabuntur & durabunt, nulli amplius mutationi & viciſſitudini obnoxia.*

In Conſtitut. quæ Clementi tribuuntur: *Sabbathum & diem Dominicam feſtos dies agitote quod ille quidem dies recordatio Fabricationis Mundi; hic vero reſurrectionis L. VII. c. 24. & c. 33. Operentur ſervi quinque dies. Sabbatho autem & Dominico die vacent in Eccleſia propter Doctrinam Religionis. Dicimus enim Sabbathum habere rationem creationis mundi. Dominicam vero reſurrectionis. Ideo Die Octavo circumcidi imperatum fuit à Lege, neque id unquam violabatur mandatum, ſignificans poſt ſeptimum diem omnium regenerationem. Quod non tantum cum circumciſione inferebant Veteres, ſed etiam ex prima Die creationis, ſed Hebdomadæ quæ Octava videtur, & Diem Dominicam, & Octavam agitandam in cœlis repræſentabat. Sic* Baſilius Capit. 27. de Spiritu Sancto ad Amphilochium. Ubi cum de prima Die ſeptimanæ & creationis diſſeruiſſet, & acute obſervaſſet, *illam diem μίαν unam, & pri-*

primam dici, addit, *Ut unus sit idem & Octavus, unum illum & singularem & verum Octavum, cujus Psalmista alicubi, in quibusdam Psalmorum suorum titulis meminit, per se significans diem post horum temporum statum nunquam finiendam, ac vesperæ nesciam, quæ nec finem, nec senium novit.*

Eodem sensu Anastasius Sinaita in Psal. 6. *Octavam vocare solet Scriptura vitam illam, quæ post septimam hujus seculi sequitur. Quam Octavo die facta circumcisio significavit. Hæc ille ad Psalm. 5, cujus hæc est Græca* ἐπιγραφὴ, ψάλμος Δαβὶδ περὶ ὀγδόης. *Psalmus David de Octava seu super Octavam. Quibus in verbis veteres Ecclesiæ Doctores mira quædam & mystica animadvertere sibi persuaserunt.*

Ante ipsum Menardus similia ad Barnabæ Epistolam notaverat p. 202. & 233. *Hujus rei notitiam aliquam habuisse videtur Plato, rerum Hebraicarum haud plane ignarus, qui ait Sanctos veros post hanc vitam, postquàm septem dies in prato amænissimo constiterint, Octava die migraturos ad cœlum, videlicet per sextum planetarum orbes.* Addenda videbatur hæc Doctiss. Menardi animadversio.

Bungus in elaboratissimo & incomparabilis diligentiæ opere de *Mysteriis Numerorum*, notat, præter multa alia, numerum Octonarium esse justitiæ numerum, quia compositio ejus ex bis unum, bis duo, bis quatuor æqualiter procedit atque ita denuo resolvitur. Post narratas gentium circa hunc numerum superstitiones, notat Noachum justitiæ præconem *Octavum* fuisse. Gen. VI. 7. 2 Petr. II. Præterea veteres solitos dicere ἀ πάντ' ὀκτὼ *Omnia Octo*. & paulo post. *In divinis scriptis, novum testamentum, futuræ resurrectionis diem, & æternam bonorum requiem, quæ post mundi consummationem in animabus & corporibus glorificatis est futura, demonstrat, Octava die*, postquam dixerat stare illic qui *mortem non essent gustaturi &c. Ego autem surgendum esse designo, quando, sc. finita seculi hebdomada, Dominus venerit ad judicandum Mundum..... Octavum autem diem non recipit mundus; sed finito septimo ad primum ut redeat necesse est, quod octava ad æternam requiem pertineat.* Patres citat quam plures qui ita sentiant. Putatque Platonicis hæc ex

ex Mose innotuisse p. 329. Huc refert octavam circumcisionis; *ad insinuandum Sanctorum corpora in die resurrectionis externæ ab omni prorsus labe corruptionis emendanda &c.* Bibliander nostras in ea fuit sententia, quod septem sigilla Apocalypseos nec non septem tubicinia referenda sint ad septem illas ætates mundi, ab ejus initio decurrentes usque ad finem, Fidel. Relat. pag. 130. & seq.

Ad illos nunc transeo, qui jam enarratam sententiam, de una serie, ab initio ad finem usque, septem periodis decurrente, amplectentes, eundem numerum septenarium seu hebdomadam mysticam sub N. T. repetendam agnoscunt. Nimirum semel ab Adamo usque ad Christum & denuo a Christo usque ad diem ultimi judicii. Sic *Petrus Aureolus Doctor facundus* olim dictus: brevi post initium seculi decimi quarti floruit, Ordinis Minorum, Professor Parisiensis & deinde Aquensis Archiepiscopus in *Breviario Bibliorum* Fol. cx. *Potest dividi totus processus Ecclesiæ in septem ætatum ætatulas per similitudinem qua status totius mundi dividitur in septem ætates: habet ergo processus Ecclesiæ septem status.*

Primum quidem suæ fundationis sub tempore Apostolorum & Discipulorum Christi. Secundum vero persecutionis sub tempore Imperatorum & Martyrum. Tertio prosperitatis & exultationis sub tempore Constantini, qui sibi largitus est honorem & abundantiam temporalem bonorum. Quarta vero divisionis & dissecationis inter se sub tempore Hæreticorum. Quinta vero perfectæ pacificationis & dilatationis sub tempore Caroli & Imperatorum successorum. Ille namque dilatavit Ecclesiam multa cænobia fundando & pacificavit ad plenum. Sexta vero novissima persecutionis sub tempore Antichristi & suorum discipulorum. Septima præmiationis bonorum & punitionis malorum post diem judicii & post destructionem Antichristi.

Secundum ergo hunc septenarium numerum procedit quælibet visio. Nam in prima ponuntur septem sigilla, & respondet primum sigillum primo statui, secundum secundo & sic deinceps. In secundo vero de septem Angelis cum tubis correspondet similiter Angelus primus cum tuba & sic deinceps.

In

In Tertia vero de Dracone & muliere maximè immoratur circa sextum statum de persecutione Anti Christi & continenter deinceps, imo secundum hunc exponendi modum, quælibet visio maximè circa hoc immoratur. Potest autem aliter dici de istis statibus, ut ille status, qui dictus est tertius de tempore Constantini omittatur. Nam tunc inchoata est discessio & divisio hæreticorum per Arrium. Et secundum hoc tempus Antichristi pertinebit ad quintum statum & sextus computabitur ab occisione Antichristi usque ad finem judicii. Septimus verò à die judicii & deinceps.

Isychius Presbyter seu potius Hesychius in Levit. menses septem vocat quas totidem ætates alii, *Mensem primum dicimus eum qui fuit in Paradiso: secundum ad Diluvium; tertium usque ad Abraham; quartum usque ad tempus quo descensum est in Ægyptum: quintum usque ad captivitatem Babylonicam; sextum usque ad adventum Christi: septimum ipsum Domini adventum.*

Andreas Cæsareensis de Septem Asiæ Ecclesiis, *ceterum numerus hic septenarius qui in Sabbathismum definit, requiem quam in futuro secu.o expectamus innuit.* Provocat ad Irenæum utpote qui idem docuerit Biblioth. p. Tom. IV. p. 502.

Idem Serm. Quinto in Apocal. *Nos autem Methodii sententiæ lubenter adstipulamur. Primi proinde sigilli solutio ad Apostolorum generationem haud incommode transfertur. Hi namque Euangelii prædicationem velut arcum infractum contra dæmones intenderunt, salutaribusque sagittis vulneratos ad Christum adduxerunt. Coronam ob id sortiti, quod per veritatis arma erroris ducem devicerunt, secundæque victoriæ spe usque ad violentam mortem nomen Domini professi sunt. Ea propter hoc loco exivit victor, ut vinceret: Prima itaque victoria, quàm per Apostolos Christus nactus est, Gentium fuit conversio: secunda autem spontaneus à corpore exitus, non absque cruciatu ejus rei caussa susceptus. Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens; Veni & Vide. Secundum animal Vitulum dici existimo; hoc autem Sacrosanctas beatorum Martyrum hostias designat; sicut primum Apostolicam potestatem, uti paulo ante indicabatur. Et exivit alius equus rufus: & qui sedebat super illum,*

illum, datum est ei, ut sumeret pacem de Terrâ & ut invicem se interficiant. Et datus est illi Gladius Magnus. Hunc secundam ab Apostolis successionem interpretari possumus; quæ per Martyres & Doctores constituta est. In hac enim Ecclesiæ ætate, dilatata jam Euangelii prædicatione, mundi hujus pax dissoluta, hominumque natura contra seipsam quodammodo divisa est. Huc namque pertinet illud Christi; Non veni pacem mittere, sed gladium, per quem Martyrum hostiæ mactatæ, & in celesti ara oblatæ sunt. Porro equus rufus, aut effusi sanguinis symbolum est; aut inflammatum illorum affectum significat, qui mortem pro Christo oppetierunt. Cum autem additur rufo equo insidenti datam esse potestatem, ut tolleret pacem de terra, sapientissima Dei permissio ob oculos nobis ponitur, hæc una enim est, quæ fidos Dei servos per tentationes probari & explorari sinit. Et cum aperuisset tertium sigillum, audivi tertium animal dicens: Veni & Vide. Tertium animal hominem, ut arbitror, designat. Hic autem, mortalium omnium casum. Nam ob voluntatis libertatem, & carnis infirmitatem homo facilè prolabitur in peccatum, eaque de causâ mitiorem quoque pœnam promereri videtur. Et ecce equus niger, & qui insidebat, super illum, habebat stateram in manu suâ; & audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium, dicentem; Bilibris tritici denario uno, & tres bilibres hordei denario uno, & vinum & oleum ne læseris. Probabile fit aliquam tum temporis sensibilem externamque famem exstitisse, qua de re suo postea loco aliquanto plura. per equum autem Nigrum denotatur luctus & mæror ille, qui, ut credi potest, apud justos de illis orietur, quum propter suppliciorum immanitatem à fide, quæ est in Christum, desciscent.

Atque ita audivimus non Andream Cæsariensem tantum, verum & Methodium loquentem, utpote cujus verba refert Andreas. Incertæ ætatis auctor prorsus est. Memoratur istius nominis martyr, passus sub Diocletiano, verum cujus præter Convivium Decem Virginum, omnia interiere: diversa adhuc extitere tempore Hieronymi. Est & alius istius nominis sed incertæ ætatis, forte pariter eo sæculo vixit, Patriarcha Constantinopolitanus; Et tertius memoratur qui fuerit Episcopus, verum cujus vitæ tempus non minus incognitum. Scripsit de Methodiis Allatius, at nul-
lum

lum reperit cui quicquam tribuatur quod in Apocalypsin scripserit. Et, præter primum, nemo ab Andrea allegari potuit. Ut hic cogar ἐπέχειν. Id saltem patet, ante Andream atque adeo ante annum præter propter 500. floruisse illum *Methodium*.

Ad eos me verto qui plus semel quærendam esse putent seriem quæ hebdomadæ primæ respondeat. Estque hæc sententia veteribus non tantum verum & hujus ac præcedentis seculi auctoribus recepta, ut verba eorum congerere non sit necesse. *Christus ex morte resurgens novam quasi regni sui hebdomadam inchoavit.* Zepperi verba sunt de Leg. L. I. Cap. VII. p. 47. Sic sentit auctor Libri qui vocatur *Onus Ecclesiæ* Cap. LXVII. Sunt aliquot, ejusdem licet editionis exempla, in quibus præfigitur nomen auctoris, quod in aliis non reperitur. Alterum meum habet *Author est R. pr. D. Johannes Eps. Chemensis*, alterum non item. Vignerius in Indice Auctorum allegatorum in Theatro Antichristi, Gallicè edito, impense laudat librum, *ut qui contineat res admirandas, de septem statibus Ecclesiæ, & congerat infinitum Prophetiarum numerum lectione dignarum*, Vide & Catal. Test. Verit. p. 1795. Wolfii Memorab. Cent. IX. p. 187. Usherio quoque, Oleario aliisque laudatus. Sic ille. Fol. CXX. *a. Primus itaque mundi status, id est, Vetus Testamentum finitur, ac secundus generalis status, id est, Novum Testamentum inchoatur in illa prima Christi Cœna, quæ appellatur redemptionis. Ad eam utpote ad fidem Catholicam, nos invitat dominus per suos servos. II. Et sicut Primus mundi status includit sex ætates, ita secundus status currit per sex Ecclesiæ tempora, utpote à primo statu Apostolorum usque ad finem sexti status, id est, usque ad interitum magni Antichristi. III. Tertius deinceps mundi status (qui vocatur perfectionis) incipiet post Antichristum, utpote a Prædicatione Enoch & Heliæ ac à dicta Christi secunda cœna seu adventu secundo, & decurrit per septimum Ecclesiæ statum, durabitque usque ad extremum judicium. IV. In ipso tertio mundi statu Judæi omnes vera fide imbuentur, ait enim Dominus: In tempore illo ero Deus universis cognationibus Israël, & ipsi erunt mihi in populum, unde Salvator facta cœna deposuit vestimenta, id est, priorem assumptam in-*

infirmitatem carnalem & præcinxit se linteo, id est, eadem carne immortali.

Eorum qui bis recurrere autumant creationis seriem nonnulli ea ratione instituunt quam ex Theologiæ Allegoricæ auctore discere poterit Lector. „Sic ille, Opera „ista, quæ Deus illic delineavit, esse vel פעלים *molitiones* „vel מעשים *effectiones*. Quarum illæ spectent ad primum tem„pus, quod a creatione mundi usque ad Christum natum „excurrit, hæ ad tempus postremum, quod à Christo nato „ad consummationem seculorem usque labitur. Atque „utrasque 7. dierum periodis distingui, quæ in Christum „advenientem in regnum suum tum initiatum tum con„summatum exeunt. Vis aliquam divisionis istius adumbra„tionem? Paucis accipe.

„Primo die produxit Deus *tenebras & lucem* hoc est priore „tempore peccatum & Promissionem Cainitis & Sethitis „allucentem. Posteriore caliginem ignorantiæ Judæis juxta „& gentibus incumbentem lucemque Euangelii utrisque „exortam. Matt. 4. 19. vide 2 Cor. 4. 9. Altero die pro„duxit *expansum inter aquas superiores*, hoc est, priore tem„pore Noachum aquis jactatum & mundum impiorum „eisdem obrutum, posteriore Ecclesiam Christianam per„sequutionum discerniculo à gentibus divisam. Tertio die „*Maria & Terram ex aquis eminentem*, hoc est, priore tem„pore Abrahamum & semen ejus à gentibus, separatum „ac multiplicatum, posteriore Ecclesiam sub Constantino „M. ex Ethnicismi profundo emergentem, florentemque. „Quarto die *Luminaria majora & minora*, hoc est, in V. T. „Mosen & Aaronem, Principes & Sacerdotes, una cum „omnibus Levitis, in N. T. Cæsarem & pontificem Ro„manum cum Episcopis innumeris. Quinto Cetos magnos „cum piscibus, hoc est, in N. T. Reges Assyrios & Ba„bylonios cum exercitibus suis cumque Israelis ac Judæis „transmigrantibus, in N. T. Sultanes Ottomannicos & „Papas Romanos cum Barbarorum & Christianorum ac „Scholasticorum copiis mancipantibus aut mancipatis. „Sexto *animalia Terræ tum mansueta*, *tum fera* nec non „*Virum* & mulierem, hoc est, V. T. Judæos terræ suæ ac

„legis

„legis exercitio redditos, ſed à Lagidis & Seleucidis, quin „& propriis Sacerdotibus oppreſſos, nec non Chriſtum & „Eccleſiam imaginem & ſimilitudinem Dei referentes, in „N. T. Reformatos terris ſuis ac libertati reſtitutos, ſed „ab hoſtibus tum externis tum inteſtinis infeſtatos, nec „non Chriſtum ſponſam ſuam ducentem & in regnum „ſuum pacatum introducentem. Ap. 19. 7. 8. 21. 2. Quod „Creationis ἑξαήμερον tandem inſequitur *Sabbathum divi-* „*num*, hoc eſt, in initio N. T. I. σαββατισμὸς populo Dei „reliquus. Heb. 4. 9. in fine requies illa ab omni dolore „& labore, quæ deſcribitur Apoc. 21. 3--7. in quâ Deus „demum acquieſcet. Sed horum indubitata fides ab exegeſi „ἀκριβεστέρα, rerum & verborum dependet, quæ ſi Deus „mihi vitam & otium conceſſerit, lucem aliquando vi- „debit.

Diſſentit in nonnullis auctor *Inveſtigationis Futurorum per ſigna temporum:* verum ita implicite & perplexe loquitur vir Doctiſſimus, ut ſenſum ejus aſſequi in quam plurimis nulla ratione poſſim.

D. Jurieu iis quoque accedit, qui putant ſeptem periodis decurrere omne novæ creationis tempus. *Quartus* ipſi *pro regno Millenario argumentorum fons, ſunt typi;* quorum tres primi, utpote liberatio Iſraelis ex Ægypto & quies in Canaan, nec non quies poſt ſolutam captivitatem Babilonicam, ac tandem ea quæ ſecuta eſt tempore Antiochi Epiphanis. Accompliſſ. de Prophet. II. Cap. XVI. at quibus fidiculis inde regnum illud mille annorum torqueat, ego quidem non video. Sed iis aliiſque relictis ſe applicat argumento quod reperit apprimè validum. *Eſt illud, quod in numero ſeptem* ſeu ſeptenario *reperitur. Ex conſenſu communi eſt numerus myſticus ac ſacer, eſt numerus qui perfectionem ſignificet.* Ego quidem ex ipſo numero ſeptenario quicquam elicere velle inane ſomnium potius dixerim, quam ſolidi Theologi conceptum. Quin nec ſacer eſt, nec myſticus in ſe, nec peſectionem notat ut talis; contra quam temere adſeverat Jurieuus. Myſteria in ipſo numero ſeptenario ex figmentis & deliris otioſorum reperiunda vide apud *Petrum Bungum* in Myſt. Num. Et poſt ipſum, magnam-

 que

que partem ex ipſo Joh. Meurſium in Denario Pythag. Cap. IX. noviſſime autem Caroli Animad. in Agell. L. III. Cap. X. Animad. I.

Ita Deus omnia condidit ſex dierum ſpatio, ut quies inciderit in octavam: ad id opus, tanquam ichnographiam, & typum longe majoris, Deus deinceps reſpexit. Hincque ad ſeptem tempora ſeu ſeptem periodos opus gratiæ refertur. Aſt nihil hic in numero aut illius perfectione quærendum eſt.

Et ſint ſeptem periodi, quibus decurrat omne tempus gratiæ, quid hoc ad regnum Millenarium? Nihil prorſus, ut vix granum ſani heic habeat Jurieuus, ſolidi prorſus nihil. In pluribus numerum *ſacrum* notent Scriptores Sacri, at quid hoc ad numeri *conſummationem* quam ſomniat aut *perfectionem*? pag. 290. Nihil prorſus. Porro ſit ſeptima Eccleſiæ periodus & pacis & ſanctitatis & quietis tempus, non tamen ſequitur, mille annorum fore. Adeoque nihil hactenus probat, ipſo validiſſimo ſuo illo argumento. Imo cum velit *Sabbathum eſſe tempus ſex diebus operariis proportionatum* p. 292. Sequitur ſex præcedentia tempora pariter mille annorum fuiſſe; cum tamen ex ipſius calculo primum, nimirum a creatione ad Abrahamum, fuerit præter propter viginti, & ſecundum, ab Abrahamo ad Moſen, vix quatuor ſeculorum. Hinc p. 306. putat in *inæqualitate periodorum nullam eſſe difficultatem*; quid igitur ex proportione antea? Neque etiam minorem mutationem Eccleſia ſubivit tempore Noachi, quam Abrahami: verum, omnia viri παρωρήματα in hoc uno negotio commiſſa, notare longum foret. En ſeriem periodorum ab ipſo propoſitam p. 305. 1. ab Adam ad Abraham præter propter bis mille annorum. 2. ab Abraham ad Moſen quadringentorum aut quingentorum annorum. 3. a Moſe ad Chriſtum 14. aut 15. ſeculorum. 4. à J. C. uſque ad tempus naſcentis Antichriſti 400. aut 500. ann. 5. à nato Antichriſto uſque ad illius ἀκμὴν. 5. aut 600. ann. 6. ab Antichriſto conſummato ad pereuntem. 7. aut 800. ann. 8. poſt annihilatum Antichriſtum, & erit præter propter 1000. ann.

Ad

Ad eos transeo qui hanc eandem seriem ita repeti putant, ut primæ delineationi, quæ facta est prima hebdomade, tribus vicibus respondeant ea, quæ, ad efficiendum opus novæ creationis, facta legimus; semel sub promissione seu ante Mosen; iterum sub Lege; & tertio denique sub Euangelio. Hæc sententia mihi præ aliis arridet, non unam ob rationem. Clarissime sic Augustinus T. 11. col. 562. *Primum enim tempus est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia, ubi jam manifestatio est sacramenti prius occulti in Prophetico ænigmate.*

Quod tertium tempus septem periodis decurrere in ipso *Sermone* pro re nata diximus: communiter receptam fuisse dudum illam sententiam pariter nobis notatum, pluribusque a Coccejo, Heideggero, Suicero aliisque est demonstratum. Verum vindicanda videtur isthæc veritas.

Quod ut fiat, pro ut utilissimum fore judicavi, examinabo nuperi scriptoris hanc in rem dicta: sic ille alicubi, *non ignoro, ad adstructionem periodorum & inprimis Propheticæ exegesios Epistolarum septem, de illis, adferri quandoque veterum multorum, Græcorum & Latinorum nomina.* Verum ne ignoret Vir Celebris eos, quos heic loci carpit, ad *adstructionem* explicationis Verbi Divini, alia neutiquam uti, quam divina auctoritate. Quin imo toties totiesque vapulasse, quod, omni humana auctoritate spreta, Deum unum agnoscant falli nescium Scripturæ interpretem. Aliud quid est, ad amoliendum novitatis exprobrationem, ad adstruendas adsertiones suas ad humana provocare nomina, aliud est. Prius aliis relinquentes, posterius, quanquam non sine aliquo pudore dicam an tædio, nonnunquam factum memini a periodorum patronis.

Nec ita infeliciter ac quidem obtendit Vir Celeb. quando infit: *ut si eorum* quos ex veteribus allegant, *verba inspiciantur, & legantur Commentarii, doctrinam periodorum ab ipsis non teneri liquido appareat.* Certè non minus liquido, quam passim doctrinæ nostræ capitum, cum ea quæ patrum fuit, συμβίβασιν demonstrant orthodoxi. Cavillatur enim Pontificius, quoties, obtentu non omnimodæ convenientiæ

vim probationis enervare ſatagit. Modo eam nobis æquitatem exhibeat Vir Doctus, quam merito ab homine Papiſta exigeret, non negabit id quod contendimus, nimirum fuiſſe inter Veteres, qui in ſtatuendis ſeptem illis periodis *viam paraverint*, quique nobis ſaltem præiverint, & apud quos rudera illius ſententiæ reperiantur; nec aliud quid contendimus quando hac in parte ad vetuſtiſſimos Patres provocamus? Coccejum inſpice, Groenewegium, &, ante utrumque, Forbeſium & ſimiles, & videbis, eo ſenſu, quem illi clariſſimè exprimunt, *liquido apparere, Veteribus* quoque *doctrinam periodorum* receptam eſſe.

Eadem autem methodo, æque clarè & perſpicue degeſtam a, poſitam atque jam tunc ex fuiſſe, nemo eſt qui dixerit: ſed veſtigia illius ſententiæ ſatis manifeſta in Patribus reperiri, merito adſeverant periodorum patroni.

At, quemadmodum contrarium *liquido apparere* confidenter, ut ut non ex vero, pronunciat, ſic deinceps argumentis parum ſolidis idem deinceps evincere conatur. *Siquidem*, dicit, *de iis tacent*; verum quid ſi, *vocabulum* tacentes, rem ipſam, aut ſaltem ſummam rei dixerint? Nonne ſatis eſt? At quid ſi & ipſum hoc noſtrum *vocabulum* eodem, quo nos accipimus, ſenſu, jam ſeculo ſecundo uſurpatum contendam? *Septem periodos* ἑπτὰ περιόδους apud Clementem Alexandrinum lego: Senſu heic prorſus non alieno, agit enim de typo temporum, quæ nos, ad ipſius exemplum, nomine ſeptem periodorum exprimere auſi fuimus.

Nec etiam de omnibus verum eſt, id quod non minori adſeverat ſecuritate, *de Eccleſiis id ſolum docent, eas ſeptenario numero propoſitas, qui perfectionis atque univerſitatis eſt index, omnes hactenus Eccleſias, donis & ſtatibus varias, nobis repræſentare. Docent* id, fateor, ſed *ſolùm* id docere, niſi *donis* & *ſtatibus* etiam *tempore* addas, à vero prorſus alienum eſt. Non enim illius temporis univerſitatem intelligere, ſed omnium temporum ex ipſis illis Haimonis verbis apparet, utpote qui unam *eſſe* dicit, non *fuiſſe* Eccleſiam illam, cujus heic ſeptenario numero univerſitas denotatur.

Imo

Imo *unam, ut unus est* Spiritus, certè non unius temporis. Ut successivis periodis non adversetur, sed apprimè conveniat mens Haymonis.

At quid rei est, quod Haimonis verba, eaque mutila, nobis apponat? Nec sic eludi tamen ea ratione ceterorum & longe antiquiorum dicta possunt, utpote qui limpidissimè de septenario cum *septem diebus* comparando, adeoque de successivo loquantur. De septenario tum typico tum antitypico passim, ut de successivis periodis. Clemens utique ἑπτὰ περιόδους aliter accipere non potuit. Irenæus alludit ad dies primæ Creationis. Chrysostomus Octavam memorat, hanc vitam secuturam, post septem dies elapsos. Augustinus pariter septenarii perfectionem prædicat, verum ad ætates refert, sibi invicem succedentes, de Genesi c. Manich. L. I. col. 823. & ne putes uno tantum in loco eo sensu ab ipso accipi septenarium, primo quidem hujus loci verba producam: deinceps alia. Sic heic l. *Video enim NB. per totum textum divinarum Scripturarum sex quasdam ætates operosas, certis quasi limitibus suis esse distinctas, ut in septima speretur requies; & easdem sex ætates habere similitudinem istorum sex dierum in quibus ea facta sunt, quæ Deum fecisse Scriptura commemorat*, Epistola LXIX nonnulla occurrunt quæ fratrem contradicentem abunde convincent col. 562. Lit. c. *In toto enim seculo generis humani tertium tempus est quod fidei Christianæ gratia datum est. Primum est ante Legem, secundum sub Lege, tertium sub gratia. Quartum adhuc restat, quo ad plenissimam pacem Hierusalem venturi sumus.* LXXX Quær. LXI. seu Tom. IV. col. 567. d. *Quia vero in toto tempore seculi nunc tertium tempus apparuit, ideo resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante Legem, secundum sub Lege, tertium sub Gratia, ubi jam manifestatio est Sacramenti prius occulti in Prophetico ænigmate .... tempus tertium quod supra commemoravi, quia inde incipit NB. hebdomada tertia, sed etiam propter ipsam tertiam conversionem, ab exterioribus ad interiora de luna similitudo assumeretur: usque ad vicesimam vero & primam, propter ipsum numerum septenarium, quo universitatis significatio sæpe figuratur, qui etiam ipsi Ecclesiæ tribuitur propter instar universitatis.* Vides Universitatem significari, ita tamen ut sit

hebdomadæ, & tertiæ hebdomadæ seu œconomiæ Novi Testamenti. Pergit Augustinus post jam excerpta, *Ideo Johannes Apostolus in Apocalypsi scribit ad septem Ecclesias*, Verum ne contra hiscere queat opponens, denuo audi Augustinum. *Unde & illa civitas muri, quæ Hiericho appellatur, quia in Hebræo eloquio luna interpretari dicitur, septimo circuitu testamenti arcæ corruerunt. Quid enim omne aliud agit annunciatio regni cœlorum, quam circuitio arcæ significavit &c.* Epist. CXIX. Cap. III, VI. Sunt loca in quibus *universitatis* index est hic aut ille numerus exempli gratia *duodenarius*, nulla habita successionis temporum ratione, sic de numero *duodecim* & *quadraginta quatuor* de Doctr. Christ. L. IV. col. 63. b. *neque enim numerus iste in Apocalypsi ad tempora pertinet, sed ad homines*, vides quam accuratè mentem suam exprimat: *plerumque hujusmodi numeri*, de *septenario*, *denario* & *duodenario* dixerat, *pro universo tempore ponuntur*, non semper igitur. Quin imo de septenario signatè notat, quod alicubi, quando Deus *universitatem significare voluit, non ipsum potius septenarium posuit, ut diceret in septimam generationem, sed in tertiam & quartam* Quæst. sup. Deuteron. Lib. V. Cap. XLII.

Nec quicquam vetat, quo minus idem *septenarius*, etiam in Apoc. II. III. *universitatis* significatum singulatim habeat, verum & *multa quippe hujusmodi in divinis auctoritatibus reperiuntur in quibus septenarius numerus ut dixi, pro cujusque rei universitate poni solet.* de C. D. L. XI. c. XXXI. sæpe autem, ut ex re ipsa apparet, istiusmodi *universitatis*, quæ & sequente futura erat tempore, adeoque successioni prorsus non adversa. Quod in illo Ecclesiarum septenario, qui apud Johannem reperitur, quin observandum sit, nemo dubitaverit, modo attendat *Asiam* Augustino *mundum* valere universum Expos. in Apoc. I. Tom. Op. IX. & Ecclesiam *omnem multitudinem* credentium. *Septem autem Ecclesias* quas vocat vocabulis suis, non ideo dicit, quia illæ solæ sunt Ecclesiæ; *sed quod dicit uni, omnibus hoc dicit.* Denique sive in Asia, sive in toto orbe, septem Ecclesias omnes esse Catholicam: *sicut ad Timotheum ait, Quomodo oportet te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi: & in Isaia septem mulieres quæ apprehendent virum*

unum septem Ecclesias significari intelligit, quæ & una est. Exertè Thomas, sive Angelicus sive Anglicus *Septem vero Ecclesiæ universitatem Ecclesiarum designant, at quare? quia universum tempus septem dierum repetitione revolvitur.* In Apoc. 1. pag. 25. Edit. Florent. 1547.

At quorsum plura? Nonne septenarius numerus dierum passim Augustino denotat omne tempus hoc in terra transigendum? loca superius allegata sunt. Vel an illis quoque in locis ita est universitatis, ut non & successionis temporum sit ac periodorum?

Arethæ verba repræsentata Lectori sufficient, sic ille in Apoc. p. 648 b. *Per septem Ecclesias, nimerumque septenarium, multitudinem significavit Ecclesiarum ubique locorum sitarum, quæ in præsenti vita sibi mutuo cognatæ sunt, eo quod septenaria dierum periodus inchoata, habitantem in corruptibili creatura potentiam suam designat, ut quæ per omnia ostenditur. Porro septem Ecclesiis tantum mittere jubetur scripta, quæ vidit, non quod totidem sint in Asiâ civitates, sed illis jubetur hæc mittere, ut quæ Euangelicam Prædicationem susceperant. Aut etiam veluti latius de his dictum est, eo quod numerus septenarius cognatus sit huic corruptibili seculo, respondens etiam requiei futuri seculi.*

Septem lampadas cum dicat posse denotare, quæ & *Irenæi* mens sit & *Clementis*, ordines cœlestes *qui mundo præsideant*, certè non intelligit mundum certi sed omnis temporis, adeoque de successione cogitat.

Sic de Septenario sigillorum numero idem Arethas p. 694. d. *Septem vero sigilla Septenario numero insigne habentia, & significantia dierum varietates, ac successiones, quæ in transitorio hoc mundo contingunt;* Specimen addam. *Et ecce equus albus*] *Equus quidem albus* 655. *a. symbolum est Apostolicæ prædicationis, utpote per ipsam & eorum generationem maximo beneficio hominibus præstita. Porro equo vectus est is, ad quem Habacuc ille sanctissimus canit divinitus: Induxisti in mare equos tuos, & ipsum arcum quem idem quoque Habbacue vaticinatur, dicens: Intendens intendes arcum tuum .... Conjectura*

assequor hanc secundam esse ab Apostolis successionem, quam per martyres & doctores expletam cognoscimus, in qua quum jam se prædicatio dilataret, mundi pax soluta est, divisa adversus se ipsam humana natura, juxta illud quod à Domino *dictum est: Non veni ut mittam pacem in terram. Sed gladium, & ut excitem patrem & filium & filiam & matrem & nurum & socrum in cædem mutuam, unde & martyrum occisiones ad superiùs altare sublatæ sunt.*

At cum, si Oudino credas, sec. decimi, adeoque sequioris ævi hic scriptor sit, &, licet, quod nonnullis placet, antiquior, ex Andrea tamen Cæsareensi sua hausisse uno ore testentur, quid ni fontem adeamus? Patribus quarti seculi a nonnullis accensetur, sic ille Bibliot. Pat. Tom. IV. p. 561. *h. Cum multæ passim extent per orbem Ecclesiæ, ad septem duntaxat scribit. Verum numero hoc septenario, qui præsentis vitæ decursui consentaneus est (totius namque hebdomadæ periodus septem dierum curriculo absolvitur) omnium ubivis locorum existentium Ecclesiarum mysterium complexus est. Ea igitur de causâ ut septem Angelorum, ita septem quoque Ecclesiarum mentionem facit, ad quas proinde hunc in modum scribit. Gratia vobis & pax à divinitate, quæ in tribus hypostasibus subsistit & cetera. Et quidem per eum est, qui est, Pater designatus videri potest.*

De *Primasio* haud minus infeliciter idem pronunciat Vir Doctus quod de reliquis. Majoris eo facio *Primasium*, quod, teste Viro Docto & Candido, *Ellie du Pin, fidelis discipulus Doctrinæ Augustini* fuerit. Locus unus forte abunde sufficiet. Bibl. P. T. VI. Part. 2. Edit. Colon. p. 151. col. 11. *h. Joannes Ecclesiis septem, quæ sunt in Asia. Id est, uni Ecclesiæ Septiformi. Septenario numero sæpe universitas figuratur, eo quod ex primo impari & pari, id est, ternario & quaternario tanquam ex diverso universitas tota conficitur, nam & animæ corporisque diversitas, ipsam unitatem numeri hujus complectitur. Ad animam enim tria pertinent, ad corpus quatuor. Dicitur namque diligendus est Deus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, corporis autem notas habemus quatuor qualitates, calidam & frigidam, siccam & humidam propterea etiam canitur. Septies in die laudem dixi tibi. Quod alibi dicit. Benedicam dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, & sapien-*

pientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, & cetera quibus Ecclesia prædicitur orbem possessura terrarum, quam sicut unam possessionem in hæreditatem idem Christus accepit. Dabo, inquit, tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Hinc Catholicum singulariter obtinet nomen, eò quod seculum totum sola hæreditaria possideat dignitate. Non putem autem, quando universitas totam gentium hæreditatem Christo adeundam denotat, non esse successivam. Nisi forte Christo unius temporis tantum quædam universitas obtigerit. Imo exertè se ætates septem intelligere alibi indicat, licet septenario numero universitatem sollicite complectatur .... *Quamdiu aquam in illis sex hydriis tanquam sex ætatibus idem Dominus convertisset in vinum, id est, Vetus Testamentum intelligendum spiritaliter perdocent.* In Apol. VI. Part. II. pag. 159. e. Sex hydriæ *sex ætates*, hæc sane successionem notant. Idem

P. 172. Col. 2. e. *Et sextus Angelus* tuba cecinit : *hic novissima prædicatio sextæ ætatis denunciatur.* En *sextam ætatem*, antea, aperto quarto sigillo, allusionem ad diei quartæ opera & tempus factam notaverat. Et in genere in initio hujus Libri Tertii dixerat *in Septem Angelis ecclesiam repeti juxta præcedentem regulam, quæ propter universitatem septemformi sæpe numero commendatur.* De Beda & Haymone qui ad manus non sunt, ratio nulla est cogitandi, quod à veteribus, uno fere ore heic veritatem, summam rei quod attinet, profitentibus, discesserint. Quinimo ex à Lapide abunde constat Bedam saltem idem de septem sigillis docuisse quod reliqui.

Et licet septem periodos in Epistolis Capitibus II. & III. non agnoverint nonnulli, haud tamen inde sequitur in reliquis septenariis, potissimum autem in septem sigillis, non animadvertisse. Sunt & hodie septem periodorum patroni, qui eas in Epistolis hactenus non agnoscunt. Alii vero eas in Epistolis observantes in reliquis septenariis non reperiunt : exemplo sit Doctissimus Forbesius à Corse. Diversis gradibus eadem veritas cognoscitur. Ut ut sit, id me impetrasse putem a Viro Docto, ut deinceps dicturus non sit.

Primi itaque periodorum harum inventores, verè sunt nonnulli in medio Papatus Monachi. Quod enim tot Patribus receptum fuit & ab iis scripto consignatum, næ id *Joachimum* sanè Abbatem aut quemquam illius temporis Monachum auctorem non habet.

Præterquam quod veritati nihil deroget, sive ab hoc primum sive ab alio eruatur. Dudum id Ecclesiæ Romanæ Doctoribus a nostris repositum antea notavi.

Inter Monachos quoque fuisse insignes sacrarum literarum scrutatores, quis negare ausit. Novit Vir Doctus ea quæ L. IV. Cap. XXIV. de Monachatu ipse Hospinianus. Fuere de Monachis qui abdita Satanæ non cognovere, aut saltem non amplexi sunt, at studiis omnis generis, Sacrarum literarum potissimum, impallescentes, luculentissima profectuum suorum exhibuere specimina. Taceo pietatis praxin quam tantopere in ipsis deprædicat Nazianzenus Orat. IX. & agnoscitur ab Hospiniano aliisque Orthodoxis.

Non multum quoque nostra refert, quis aut qualis fuerit *Joachimus Abbas.* Haud tamen placuit infensior, absque ratione, Viri Docti in diu jam defunctum animus. Inprimis cum tot sint inculpatæ fidei testes, qui virum a virtute atque eruditione, singulatim zelo adversus corruptiones Cleri, ne Pontifice quidem excepto, impensè laudent. Non duos, non tres sed ter decenos in promptu habeo. Accusat tamen Vir Doctus. Neque ego causam Joachimi heic agerem, nisi veritas per ipsius latus, & fratres veritatem profitentes læderentur: nimirum ac si cogitata, toties totiesque ab ipsis proposita atque inculcata, fanatico deberent homini. Audiamus crimina ipsi impacta, & paucis ac placidè diluamus.

Primum est, quod *Propheticum charisma sibi tribuat.* At quod nullo idoneo teste evincet Vir Doctus. Probatiores & magis vetusti scriptores, hisce, ubi ad hoc negotium ventum est, de ipso aut similibus formulis utuntur, *fertur de illo:* sic Knyghton de Event. Angliæ L. II. *Fatidicum*, fateor, appellant Mabillon & Germain Itineris Italici part. I. pag. 32. Dudumque ante illos Sigonius *in Cala-*

bria apud Monasterium Floris eximia vaticinii laude floruisse narrat. De Regno Italiæ L. XV. ad ann. 1189. Cardinalis Bona alicubi *Spiritus prophetici virum* dicit. Verum ea ita explicat Sixtus, ut *suo tempore creditus sit verissimus Propheta.* At immane differunt haberi ab aliis & se ipsum jactare vatem.

Quin imo tam longè a vero abest, Joachimum propheticum charisma sibi tribuisse, ut contrarium prorsus non dixerit tantum, verum & serio contenderit. Guiljelmi Parisiensis hæc de Joachimo dicta, exhibet Wolphius Centen, XII. p. 405. b. *debes scire, quia donum intellctus tantæ charitatis est, & acuminis in quibusdam, ut valde assimiletur Spiritui* Prophetiæ, *qualem crediderunt nonnulli fuisse in Abbate Joachimo. At* NB. *ipsemet de seipso dixisse dicitur, quia non erat ei datus Spiritus prophetiæ, sed Spiritus intelligentiæ.* Novisse potuit *Guiljelmus* utpote coævus. Et in dubium non vocasset, multo minus negasset, si, Joachimus, quod hodie Vir Doctus, *ipse sibi charisma tribuisset Propheticum.* Fuit Guiljelmus ille *vir omni literarum genere instructissimus, summus Theologus non minus quam Philosophus & Mathematicus: adhæc eximia morum pietate illustris,* sunt Verba Clariss. Cave. Ut ipsius testimonium omni exceptione majus sit. Scriptum Joachimi in Jeremiam, cujus legendi copiam nactus sum à Reverendo ac Doctissimo Schaakio, Amstelodamensis Bibliothecæ præfecto ut Ecclesiæ ministro meritissimo, avidè perlustravi, multaque præter ea, quæ Wolphius exhibet, ex eo excerpsi. Nihil autem offendi, quod ad confirmandam hanc criminationem faciat.

Rivetus in eruditissimo opere, quo *Plessæi Mysterium* Iniquitatis vindicat adversus *Coeffetæum*, pariter agit causam *Joachimi*, eundemque producit testem: ut probet modestè, non Prophetiæ, sed intelligentiæ charisma sibi tribuisse Abbatem.

Somnia proinde & *deliria* inde non provenere, ut, ad conflandam, non huic homini tantum, verum & omnibus septem periodos agnoscentibus invidiam, gratis comminiscitur Vir Doctus.

Ab

Ab hæreſeos crimine liberum pronunciat idem ille *Viegas*, ad quem heic provocat V. D. dudum id notavit laudatus jam Rivetus, Jeſuita Viegas ſatis prolixe ipſius Apologiam inſtituit, miratus quod *Alphonſus à Caſtro eum levitatis accuſare ſcriptaque ejus omnia carpere non dubitet*, ſunt verba Riveti. Uter autem, Rivetus an Vir Doctus, quo cum mihi in præſenti res eſt, majori jure, ne dicam fide, ad *Viegam* provocet; judicet lector, poſtquam *Viegæ* verba legerit .... *quæ omnia eo commemoravimus ut virum ſua ætate celebrem ab hæreſis nota ---- ſimulque ab adverſariorum calumniis vindicaremus.*

Celebre illud monachorum æternum *Euangelium ex hujus Joachimi doctrinis .... non diu poſtea fluxiſſe* pariter verum non eſt. Sunt qui dicunt Monachos aliquamdiu poſt obitum nonnulla ex Joachimo compilaſſe & Euangelio illi ſuo concinnanda adhibuiſſe, ſed contra mentem Joachimi. Multa ille de Eccleſiæ inſtauratione & excitandis divinitus eum in finem viris Dei. Hæc & ſimilia Monachi ad augendam monachalem auctoritatem in rem ſuam trahunt. Ut heic idem agat noſter quod Pontificii, qui, neſcio quæ non Reformatoribus vulgo ſic dictis, impingere ſolent, modo ea, de quibus conqueruntur, eorum temporibus contigerint, & hæc aut illa verba aut dogmata cum eorum auctoribus communia aut habuerint aut obtenderint.

Viegas de Jeſuitis ſuis ea, quæ, a Monachis ita turpiter contorta, Æterno Euangelio materiam fortaſſis ſuppeditarunt, dicta autumat; imo plures alii *illud ad Societatem Jeſu pertinere arbitrantur.* Quod ne ægre ferant Dominicani ac Minoritæ, ita extendit Viegas, ut & in eos quadrare Joachimi verba largiatur.

Fratrum Auguſtanæ Confeſſionis non unus de Luthero vaticinatum putat Joachimum. Micrælius Synt. Hiſt. L. III. pag. 645. Sect. II. §. IX. *Cui adde omnes illos veritatis teſtes, ſuperiori Eccleſiæ ætate adductos, qui paparum tyrannidem deteſtati, reformationem doctrinæ, & morum optarunt, atque exſpectarunt. Imprimis intuere Joachimum Abbatem, qui vixit anno* CIϽCC *& paſſim Lutherum videtur paſtorem vocare Angelicum. In hujus commentario ſuper Jeremiam cap.* 19. *hæc le-*

leguntur verba: Quia Ecclesia in malis est obstinata, scilicet per superbiam, avaritiam & luxuriam, & similiter populus Christianus: idcirco necessario dirigetur ordo propheticus, ut tollat & conterat dura prædicatione superbos prælatos, avaros clericos & laicos luxuriosos. Et cap. 20. summus pontifex, Cardinales doctores & prælati valde dolebunt de ortu, & profectu illorum virorum spiritualium, & prædicatorum veritatis, tanquam qui eorum sollicitudine subvertentur, ut adulterantes verbum Dei. Unde non pænitebit eos, si subvertant in spiritu homines pestilentes.

Collegam audiat Frid. Spanhemium Viri Clarissimi Filium, videatque, se, ut ægre faciat fratribus, præter omnem rationem, lædere famam hominis, suo tempore, de Ecclesia optime meriti: sic ille. *Hujus & ævi monstrosus liber inscriptus Euangelium Æternum, seu Novum, Autore (ut ferunt) Joh. de Parma, Monacho Italo, Ordinis Minorum Generali, occasione contentionum inter Academiam Parisiensem & Fratres prædicatores; de quibus multis Matth. Parisius ad A. MCCLIII. Alii Cyrillum Carmelitam Monachum, autorem ferunt Novi ejus Euangelii, alii, sed NB. perperam, Joachimum Abbatem.* Hist. Eccl. p. 584.

Henricus de Knyghton inter Rerum Anglican. Scriptores, non infimæ Notæ, paulo ante allegatus, haud secus ac Wolphius, ex *Laurentio Anglico* refert querelas *Wilhelmi de Sancto Amore* de Euangelio æterno, nihil autem & heic reperio quod *Joachimo* imputetur, quem magni fecit *Wilhelmus.*

Anno Christi 1190. *Cyrillus Monachus Carmelita, ex veteri Origenis errore, novum sive æternum publicavit Euangelium, ait* Hofman in Vita Clementis III. ex Hornio. *Monachos aliquot clam composuisse Laurentius Angelicus testatur apud* Wolphium.

Prolixe, &, ut solet, accuratè totum hoc mysterium ob oculos ponit Venerandus Præsul Armachanus Usherius Graviss. Quæst. Sic ille: *ex parte fratrum liber prodiit Euangelii Æterni nomine inscriptus, cujus auctor fuit, ut fertur communiter,* Johannes de Parma Italicus Monachus Cap. IX. p. 337. Confer Eymeric. Direct. Q. IX. §. 4.

Nec

Nec quicquam heic adversus tot testes valet Hospiniani auctoritas, verba Abbatis sequiore sensu, absque ulla ratione, accipientis. Quin imo eadem, quæ passim accepta fuere, tanquam Reformationis prænuncia, ille aliorsum rapit, & ansam dedisse, imo suppeditasse materiam horrendo illi Euangelio æterno temere adseverat. *Prædicit fore ut Christus Ecclesiam suam repurget: & ratio reformationis præsentium temporum rebus pulchre consonat.* Sunt verba Flacci *Illyrici.* Pontificis Romani, Æternum Euangelium damnantis verba, allegata ex Matthæo Parisio ego quidem ita interpretor, ut, præter Euangelium *Æternum*, alia innuat, quæ Joachimi *ex scriptis emanasse dicebantur.*

Henricus saltem Erphurdiensis, ad quem provocant *Centuriatores*, ipse corrigit ea, quæ antea, rumoribus auscultans, iniquius in *Joachimum* dixerat. *Notandum autem est, quod* NB. *pluribus videtur liber iste, qui dicitur Euangelium æternum, non fuisse Joachimi: sed aliquis* NB. *vel aliqui moderni temporis composuerunt illum.* Sic habent verba Matthæi Paris ad Ann. 1257. p. 939. *Fratres namque quædam nova prædicabant, legebant & docebant ut dicebatur, deliramenta quæ de libro Joachim Abbatis, cujus scripta Gregorius Papa damnaverat, extraxerunt. Et quendam librum composuerunt, quem sic iis intitulare complacuit, Incipit æternum Euangelium. Et quædam alia, quæ non expedit recitare.* Vide tria heic intentari fratribus; *primo* deliramenta, quæ dicebantur hausta ex scriptis Joachimi a Gregorio damnatis; secundo æternum Euangelium, tertio non recitanda. A Gregorio utique in Concilio Lateranensi damnatus est tractatus Joachimi contra Lombardum, ea tamen ratione, ut hæreticus non fuerit declaratus. Verum ea de quibus nobis sermo est, Apocalypseos potissimum spectant explicationem, quam sub Urbano III. ac Gregorio VIII. inchoatam, ut perficeret, petiit Clemens tertius. Quæque adeo prorsus alia sunt, cum iis, quæ Lateranense Concilium in Lombardi gratiam damnavit. Nemo magis infensus fuit Monachis, quales ii, qui Æternum illud Euangelium commenti sunt. Nota obsecro quas in Cyrilli vaticinium scripsit, lege sodes apud Hospinianum de Mon. L. VI. p. 465. Porro Guiljelmus de Sancto Amore ad Pontificem, Æternum Euangelium accusaturus

a Pa-

a Parisiensi schola missus, magni facit Joachimum & passim ad eum provocat, tanquam virum sapientem pariter ac sanctum: quin idem ab Universa Schola Parisiensi factum videre est in Antilogio Papæ Pag. 54. eo ipso in loco in quo Euangelium Æternum eodem halitu detestatur pag. 55. quo testimonio majus nemo æquus postulaverit. Non habent hæc verba ipsi Centuriatores, ast reperiet Lector apud *Wolfium* Cent. XII. pag. 408. a. Vix dubito quin hæc sciverit Vir Doctus, quapropter præcedentem accusationem irritam fore prævidens: *Senensem* in scenam producit, sed qui ne gry quidem mali de Joachimo. De *Septem temporibus* cum *multa dicere*, ut & singulatim de *Sexto tempore*, gratum nobis accidit, nec ægrè fert *Senensis*. Quin imo de hiice loquitur tanquam de rebus satis vulgaribus & nemini non cognitis, id quod nos adversus Virum Doctum serio contendimus.

Styli vitia non tam Joachimo quam tempori imputanda sunt.

Eâdem *Serm. Acad.* p. 16. Mentio fit *Petri Johannis de Olivo*, celebris est in Eymerici Directorio Inquisitorum & in Commentariis Francisci Pegne: cujus usum mihi humaniter concessit Doctissimus Philippus Limborch, haud ita pridem, edita Inquisitionis insigni Historia, de causa Protestantium egregie meritus. Indicem inspicio. Sic habet. *Petrus Johannes hæresiarcha caput Begardorum, damnatus exhumatus & combustus cum suis operibus.* At hæreses hominis audiamus Recenset Eymericus Part. II. Quæst. IX. Hæresis est *quod illa Ecclesia, quàm nos vocamus universalem Ecclesiam Catholicam militantem; Est Ecclesia carnalis. Babylon meretrix magna extensivè, quia boni hi sunt in ea, sicut pauca grana tritici sub immenso cumulo palearum, quæ etiam Ecclesia carnalis publice, & impudentissimè adulteratur à suo sponso Christo: quæ etiam se & omnes gentes sibi subjectas corrumpit, fædis carnalitatibus, & Simoniacis cupiditatibus, & terrena gloria hujus mundi, quæ etiam nunc exarsit in viam contra viros Spirituales & contra vires, & influxus Spiritus Sancti, quæ etiam cecidit intus Spiritualiter, & exterius corporaliter, & quæ, per temporale exterminium cecidit in mundo, deinde ad æternum*

æternum supplicium cecidit in inferno, & quæ sua malitia, & potestate impedivit, & angustiavit Spiritum electorum, & controversionem totius orbis: quæ etiam est exterminanda, & ejus exterminium erit Sanctis quasi exitus de carcere, ad libertatis latitudinem, & volatum & exitus de tenebrosissimo fumo fornacis ad lucem solarem, & sicut exoneratio a lapide molari seu à monte immenso.

Hæresis est, quod sicut per quatuor animalia quatuor primos status Sanctorum designantia, sublimata est generalis sedes Romanæ Ecclesiæ cæteris Patriarchalibus seu orientalibus à Christo, & ab ejus vera fide rejectis, sic in eodem tempore per quatuor bestias à Daniele visas quatuor primis ordinibus Sanctorum contrarias, sublimata est sedes bestiæ, id est bestialis terræ, ita ut numero, & potestate prævaleat, & ferè absorbeat sedem Christi, cui localiter & nominaliter est commixta, unde & sic appellatur Ecclesia fidelium, sicut & illa, quæ verè est per gratiam sedes & Ecclesia Christi, super hujusmodi vero malitiam non cessant relatores Sancti hujus quinti temporis effundere phialam detestationis & celebris increpationis, ita quod regnum ejus, velit nolit evidenter apparet omnibus, & etiam ipsismet tenebrosum, id est, fœda & suorum luxuria & avaritia & Simonia & superbia, & dolosa negotiatione & astutia, & ferè omni malitia dissipatum, & abominandum: Unde & infra vocatur Babylon meretrix habens in manu sua poculum aureum plenum abominatione, per hanc autem sedem bestiæ designatur principaliter carnalis clèrus, in hoc quinto tempore regnans, & toti Ecclesiæ præsidens: in quo quidem bestialis vita transcendenter, & singulariter regnat, & sedet sicut in sua principali sede: Et longe plus, quam in laicis plebibus sibi subjectis.

Hæresis est, quod tempore Antichristi mystici, carnalis Ecclesia per quam intelligit in toto suo processu Ecclesiam Romanam, contra doctrinam Sanctorum, & vitam & zelum, acrius exardescens, quasi omnino siccetur Spirituali Sapientia & Virtuali gratia, & opulentia Christi: sicut factum fuit in Judæis, & in Græcis, ita ut pateat omni errori.

Hæresis est, quod sicut Vasthi regina à regno, & conjugis

Regis Assueri abjecta electa est Esther humilis, & sumpta ad ejusdem Regis connubium, & regnum, fecitque Rex magnificum convivium cunctis principibus, & servis suis, sic rejecta Synagoga, electa est Ecclesia plenitudinis gentium, sicque in sexto statu Ecclesiæ rejecta Babylone adultera. Oportet Spiritualem Ecclesiam exaltari, & celebre ac Spirituale convivium post ejus nuptias celebrari.

Heresis est, quod sub mystico Antichristo fienda est subversio & commotio, per quam tota carnalis Ecclesia terribiliter excitabitur, & commovebitur contra Evangelicum Spiritum Christi. Heresis est: quod sub mystico Antichristo cadet Babylon meretrix carnalis Ecclesiæ, quo tempore sancti patres fortiter prædicabunt, dicentes, quod ea tunc non est Ecclesia Christi, Sed Synagoga satanæ, & habitatio dæmoniorum, quæ ante in corde suo dicebat superbiendo: Sedeo regina in magna præsidentia, & gloria, super regnum meum dominor, & quiesco & vidua non sum; id est, non sum destituta gloriosis episcopis, & regibus, Heresis est: quod Romana Ecclesia est mulier illa meretrix magna, de qua agitur in Apocolyp. c. 17. 18. quæ fuit quondam in statu paganismi, & postmodum fuit in fide Christi, quæ nunc multis criminibus cum hoc mundo fornicata est, quæ merito vocatur meretrix magna, quia à fideli cultu, & sincero amore, & delitiis Christi sponsi sui recedens, adhæret huic seculo & divitiis, & delitiis ejus, & diabolo, & regibus, & magnatibus, & prælatis, & omnibus aliis amatoribus hujus seculi.

Hæc in Commentariis addit Fr. Pegrie *pag.* 261. *Fuit Petrus Johannis Monachus, Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci natus in Oppido quodam Cisiaco diœcesis Bitteren. Valdeque studuit doctrinæ Abbatis Joachim.......Verius est eum tempore Clementis V. exortum circa annum Domini MCCCVI. condemnatam ejus doctrinam, & errores, ac jubente eodem domino Papa Joanne* XXII. *post mortem fuisse exhumatum & combustum, si vera sunt, quæ annotantur infra in hac* 2. *parte super qu:* 26. quæ mihi non videntur, à veritate abesse. *Bernardus tamen Lutzemburgus in Catalogo hereticorum lib.* 3. *in verbo,* Petrus *Joannes, ait, tempore, Clementis Sexti circa annum Domini MCCCXLVI. de mandato ejusdem Pontifi-*

cis post mortem hæreticum declaratum, exhumatum & combustum fuisse hunc Petrum Joannem.

Baluzius, Lib. 1. p. 198. Miscell. exhibet *sententiam Inquisitoris contra quosdam combustos in Massilia*, ob receptam doctrinam Petri Johannis de Olivo. Prolixius eam disces ex scripto cujus initium est.

LITTERA *Magistrorum* in Theologia infra scriptorum &c. Lubet nonnulla excerpere: eum potissimum in finem ut videat Lector & miretur insignes in Verbi Prophetici intellectione profectus, hominum illius temporis: atque unà nec novam esse de septem temporibus doctrinam, nec illius damnationem. *Sanctissimo Patri ac Domino Johanni divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici frater Guido Prior generalis*, sequitur series nominum Barbarorum, *pedum oscula beatorum.* Sanctitati *vestræ*, *Pater beatissime*, *facimus manifestum*, *quod* Reverendus *Pater & Dominus Dominus frater Nicolaus Episcopus Ossiensis*, *cui per eandem sanctitatem vestram commissa fuit examinatio postillæ cujusdam*, *quam quondam frater Petrus Johannes de provincia Provinciæ super librum Apocalypsis conscripsit*, *nobis tradidit quosdam articulos extractos per eum de dicta postilla in duobus parvis quaternis una cum postilla superius memorata*, *nobisque ex auctoritate sibi commissa injunxit*, *ut cum diligentia examinaremus prædicta*, *& de ipsis in scriptis sub nostris sigillis nostram sententiam concorditer diceremus*, *utrum videlicet dicti articuli*, *quorum tenores inferius describuntur in ipsa postilla continerentur*, *& utrum ipsos articulos hæreticos & erroneos seu temerarios censeremus.* I. *Primus articulus talis est. In prologo super textum Apocalypsis in primo notabili dictus frater Petrus Johannis dicit sic: Quantum ergo ad primum qui scilicet sint septem status Ecclesiæ in his visionibus descripti*, *sciendum quod primus est fundationis Ecclesiæ primitivæ in Judaismo sub Apostolis factæ*, *secundus fuit probationis*, *& conformationis ejusdem per martyria*, *quæ potissimè inflictas sunt à paganis in toto orbe. Tertius fuit doctrinalis expositionis fidei rationabiliter confutantis & convincentis insurgentes hereses. Quartus fuit anachoreticæ*

vitæ

vitæ mundum usque ad extrema solitudinis fugientis, & carnem austerrime macerantis, suoque exemplo totam Ecclesiam instar solis & stellarum illuminantis. Quintus fuit vitæ communis, partim zali severi, partim condescensivi sub Monachis & Clericis temporales possessiones habentibus. Sextus est renovationis Evangelicæ vitæ, & expugnationis antichristianæ, & finalis conversionis Judæorum & gentium, seu iteratæ ædificationis Ecclesiæ simul primæ. Septimus vero, prout spectat ad vitam istam, est quædam quietis & mira participatio futuræ gloriæ, ac si cælestis Jerusalem videatur descendisse in terram: prout tamen spectat ad aliam vitam est status generalis resurrectionis, & glorificationis sanctorum, & finalis consummationis omnium.

Littera *Magistrorum in Theologia infra scriptorum, qui articulos infra scriptos de postilla fratris Petri Johannis Olivi quondam ordinis Minorum facta super Apocalypsi extractos diligenter examinaverunt, & ipsos tam temerarios quam hereticos judicaverunt. Sanctissimo Patri ac Domino Domino Johanni divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici frater Guido Prior generalis fratrum ordinis beatæ Mariæ de Carmelo,* ingens sequitur istius furfuris hominum Catalogus, denique nomen *auctoris* scripti ab ipsis examinandi, *Frater Petrus Johannis de Provincia.* Porro verba istius Petri, & tandem Magistrorum judicium &c. *Hic autem nobis videtur, salvo in hoc & in omnibus sequentibus judicio summæ sedis, quod divisio illa statuum Ecclesiæ Septiformis, intellecta sicut in sequentibus articulis declarabit, puta quod Sextus & Septimus status Ecclesiæ notabiliter præmineat quinque primis, & sic rejiciant omnes illos, sicut Ecclesia synagogam, hæretica sit censenda. Quod vero dicit hos septem status Ecclesiæ in illis septem Apocalypsis visionibus describi, eo modo quo applicat & exponit, temerarium reputamus. De damnatione vero meretricis magnæ in sequentibus apparebit. Secundus articulus in eodem prologo dicit tredecim esse consideranda, & cum pervenit ad septimum considerabile, dicit sic: Septimum est, quare sextus status describitur ut notabiliter præeminens quinque primis, & sicut finis priorum, & tanquam initium novi seculi, evacuans quoddam vetus seculum, sicut status Christi eva-*

evacuavit vetus teſtamentum & vetuſtatem humani generis.
Hereticus quoad totum prout jacet & ſonant verba proprie
intellecta, quia ad ipſa ſequitur ſtatum illum ſecundum ſcrip-
turam Apoſtolorum ſtatui præeminere & Eccleſiam novam
Chriſti veterari, & per conſequens interire quæ duo hæretica
reputamus. Tertius *articulus in quinto notabili prædicti pro-*
logi ponens ordinem ſeptem viſionum Apocalypſis dicit ſic: Sex-
ta autem viſio, quæ eſt de damnatione meretricis, & beſtiæ
habentis capita ſeptem, & de novis nuptiis agni & ſuæ ſpon-
ſæ poſt meretricis damnationem fiendis, directius reſpicit re-
jectionem vetuſtatis Babylonicæ & renovationem formæ Chriſti.
Hereticus quod ad tria. Primo quantum ad blaſphemiam nomi-
nis, cum per illam meretricem intelligat, ſicut inferius appa-
rebit, Eccleſiam Romanam & univerſalem ei tanquam capiti
adhærentem, ſecundo ad hoc quod ait de ejus damnatione,
intendens, ſicut infra clarius exprimet, hanc Eccleſiam to-
taliter & æternaliter condemnandam. Tertiò quantum ad no-
vas nuptias agni & ſuæ ſponſæ, cum Chriſtus ſemel Eccleſia
deſponſata has nuptias, quæ quotidie peraguntur, in cæleſti
gloria completurus, non ſit aliquas alias novas nec ſecundas
nuptias in hâc mortali vitâ cum aliqua alia Eccleſia con-
tracturus. Septimus articulus in fine duodecimi notabilis dicit
ſic. Notandum igitur quod ſtatus Eccleſiæ à damnatione Ba-
bylonis, id eſt, Eccleſiæ carnalis uſque ad finem ſeculi oportet ha-
bere tantum temporis ſpatium quod totus orbis & totus Iſrael
convertatur ad Chriſtum, & quod illud tempus aſcendit, à
mane per gradus congruos uſque ad meridiem, ac deinde per
gradus congruos deſcendat ad tantam veſperam & noctem
iniquitatis, quod vix inveniatur fides in terra, & quod per
abundantiam malitiæ Chriſtus quaſi compellatur ad judi-
cium venire. Abſit enim quod tertius principalis ſtatus
ſeculi appropriate gerens imaginem Spiritus Sancti ſit
momentaneus aut tanto operi ridiculoſe & improportio-
naliter abbreviatus. *Sicut primo tempore converſus eſt mun-*
dus ad Chriſtum per ſtupendas & innumerabiles virtutes mi-
raculorum, ſic decet quod in finali tempore convertatur ite-
rum orbis per præclara & ſuper admiranda & ſuperabundan-
tia lumina ſapientiæ Dei & ſcripturarum ſuarum, & maxi-
me quia oportet ſtatum illius temporis elevari, & intrare ad
ipſa lumina ſuſcipienda & contemplanda. Cooperabitur ad hoc

tota

tota præcedens illuminatio priorum statuum & universalis famâ Christi, & suæ fidei, & suæ Ecclesiæ per totum orbem diffusa à tempore primæ conversionis mundi continue usque ad tempora ista. Hæreticus quantum ad hoc quod innuit, quod in finali tempore Ecclesiæ militantis erunt præclara superadmiranda & superabundantia lumina sapientiæ Dei & scripturarum suarum &c. Propter prædictos errores fuerunt quatuor fratres ordinis fratrum Minorum in Massilia per fratrem Michäelem de ordine fratrum Minorum Inquisitorem hæreticæ pravitatis, auctoritate apostolica deputatum, cui etiam Dominus Raynundus Massiliensis Episcopus commisit vices suas, *judicati tanquam hæretici, & relicti curiæ & brachio seculari, & combusti sub anno Domini millesimo trecentissimo octavo, tempore paschali, quia noluerunt dictos articulos seu errores abjurare, & nonnulli alii ejusdem ordinis, qui prædictos errores abjuraverunt, fuerunt ad pœnam carceris condemnati, ex quibus aliqui postmodum infra annum, spretis mandatis Ecclesiæ sibi factis, & post dictos errores in judicio abjuratos, apostatando à religione pariter & à fide transierunt ad gentes infideles, relinquentes in scriptis ea, quæ sequuntur, videlicet quod ipsi non dimittebant ordinem, Sed parietes, non habitum, sed pannum, non fidem, sed corticem, non Ecclesiam, sed synagogam cæcam, non pastorem, sed devoratorem. Pro quibus erroribus & hæresibus sustinendis quam plures existentes de dicto ordine fratrum Minorum*, quam de tertio ordine beati Francisci, & etiam unus apostata de ordine Carmelitarum, *fuerunt sub annis Domini millesimo trecentesimo decimo octavo & decimo nono & vicesimo tam Narbonæ quàm in ejus provincia tanquam hæretici condemnati & combusti per Sententias Prælatorum & Inquisitorum.*

„ *Eadem pag.* 33. Versu 24. Ubertinus seu Hubertirus aut „ Ymbertium à Casali *pariter ad partes vocatur. Paulus Langius* „ *in Chronico Citizensi vocat* Ubertinum de Casale, Onus Ec„ clesiæ eum crebro citat. *Hæc de illo* Wolphius *Cont.* XIV. „ *p.* 488. *a. & b. Ubertinus de Casali. Hic Minorita scripsit de* „ septem statibus Ecclesiæ: item de reformatione Eccle„ siæ contra Romanam curiam, ibidem. Dicitur autem „ carnalis Ecclesia Nova Babylon, quod Ecclesia vocatur „ meretrix magna, cum quia ordo virtutum est in ipsa per

„deordinationem vitiorum enormiter, confusus, & ve-
„rus cultus, & amor sponsi Jesu turpiter adulteratus:
„tum quia in malo non solum intensive sed etiam ex-
„tensive est, magis: ita quod boni sunt in ea sicut pauca
„grana tritici sub immenso cumulo palearum, tum etiam
„quia sicut filii Israel fuerunt in Babylone captivati, &
„vehementer oppressi, sic spiritus justorum hujus tem-
„poris supra modum angustiatur, & opprimitur à prin-
„cipatu, & prædominio Babylonis; & velit nolit, in mul-
„tis meretricis actibus ei servire compellitur. Non mi-
„reris ergo si de casu tanti sceleris cantatur à Sanctis hu-
„jus vitæ, solennissimum Alleluja.......Idem in libro de
„statibus Ecclesiæ, Jesus falsificatus capite quarto: sicut
„autem pius & patiens Jesus post illusionem, & despe-
„ctum, & post multas injurias fuit crucifixus & mor-
„tuus, sic & post multas illusiones speritus sui in relaxa-
„tionibus multis mortificata est veritas non solum vitæ,
„sed scientiæ & doctrinæ Hæc verba ex eo habet wol-
„phius.

„*Voetius Desperata Causa Pap. L.* I. *Sect:* III. *p.* 12. *Uber-*
„*tinus de Casali Minorita*, Abaddon & Angelum Abyssi,
„& regem locustarum de Pontifice quodam exponit,
„quem fraudulenter adscendisse, & tyrannicè usurpasse
„conqueritur: in Tractatu de 7. Statibus Ecclesiæ juxta
„VII. visiones Joh: in Apoc.

„*Spanhemius Epit. Isagog. ad Hist. Eccles.* N. T. S. 14. *pag.*
„729. Hubertus vel Ubertinus de Casalis non indicendus.
„Monachus non unius ordinis, tempore Clementis V.
„& Johannis XXII. in scripturis SS. sufficienter eruditus,
„ut de eo Trithemius, denique cautè legendus, secun-
„dum quosdam, ut idem Spanhemiensis Abbias, quod in
„quibusdam articulis aliter senserit ac mater Ecclesia pro-
„bavit hoc ipsum in Liberis de septem statibus Ecclesiæ,
„deque hujus Reformatione, & Scriptis aliis contra
„Romanam sedem. Hinc Herescos accusandus sub Joan-
„ne XXII. & consensus cum Petro Johannis accusatore
„Romanæ Babylonis, & cum Fratricellis, quos voca-
„runt; vel ex Articulis jam productis, apud Balusium
„Mis-

„ Miſcellan. Libro. 1. fuſe autem apud Odaricum Raynal-„dum ad A. M. ccc. xxv. Excerpta vero contrà Pontifi-„cis, prælatorum, Cleri, Monachalium Ordinum in ſpe-„cie mendicantium effuſam corruptionem, accuſato præ-„dominio novæ Babylonis, habes quoque apud Wol-„phium. J. C. in Memorabilibus, ad Annum 1308.

Errat Flaccius Illyricus quando dubitat, annon illius nominis fuerit Chemenſis Epiſcopus, qui ſcripſiſſe fertur Librum quod *Onus Eccleſiæ* appellatur, errat præterea in eo, quod inter Scriptores ſeculi decimi quarti auctorem recenſeat, verum de eo libro in ſequentibus.

Ut autem de Ubertino quid ſentiendum ſit ſcias, videaſque aſſenſum præbuiſſe Petro Johannis de Olivo in multis ſenſum Johannis in Apocalypſi ſpectantibus, lubet nonnulla huc repetere ex Miſcell. Baluzii Parte, 1. quo Lectorem ablegaverat Spanhemius. „ Quod Eccleſia „ Romana eſt Babylon, meretrix magna, & quod ejus „ gloria & poteſtas propter ejus adulteria tranferetur ad „ electos ſexti ſtatus, & quod ipſa Eccleſia Romana in ſex-„ to ſtatu ſic univerſaliter repellitur, & rejicitur, ſicut in „ in primo Chriſti adventu formata eſt Eccleſia nova, „ veteri ſynagoga rejecta, & ſicut Vaſthi Regina à regno „ & conjugio regis Aſſueri abjecta eſt, & humilis Eſt-„ her, & ſancta ad ejuſdem Regis connubium & regnum „ eſt electa, & ſe inveniſſe plura alia contra Romanam „ Eccleſiam, & ejus ſtatum dogmatizari in dicta Poſtilla, „ & quæ omnia de Eccleſiâ Romanâ, & ejus ſtatu „ ibidem dogmatizata judicaverunt, & judicant ipſi „ duodecim Magiſtri hæretica manifeſte. Quorum Magi-„ ſtrorum ſequendo judicium ſivè dictum, ſanctitas ve-„ ſtra de conſilio Dominorum Cardinalium damnavit „ dictam Poſtillam, tamquam multa evidenter hæretica „ continentem, ſecundum quod dicti duodecim Magiſtri „ depoſuerant. Sanctitas etiam veſtra in conſtitutione „ quam fecit contra ſectam Zerabaitarum, quæ incipit Glo-„ rioſum, errorem Zerabaitarum, qui dicebant Eccleſiam „ Romanam carnalem, & meretricem magnam, & au-„ ctoritate & poteſtate privatam, damnat, non ſicut no-

„vam hæresin, sed sicut hæresin Donatistarum & Ma-„nichæorum ac Valdensium, & mandat eos sicut hære-„ticos capi & puniri.......pag. 294. Ultimo dicit dictus „frater Bona Gratia, quod ipse frater Ubertinus fuit de-„fensor, sectator, & fautor Fratricellorum dicentium & „tenentium, quod à tempore Domini Cælestini Papæ „non fuit in Ecclesia Papa verus, & plures alios errores. p. 305. Videt lector quam nulla in istiusmodi hominum consensione sit ratio quæ nobis doctrinam de septem periodis suspectam reddat. Quin licet ab iisdem primum notata esset & ex sacris eruta, nihilo tamen minus gratam nobis atque acceptam esse.

Pag. 29. v. 25. *Hugo de Sancto Caro*, alii Charo. De eo videri possunt Trithemius, Sixtus Senensis, Cave. Constantinopolin *Apocrisiarius* missus est, ut fuse narrat Bzovius ad annum Christi 1233. Ut Ecclesiarum unitatem procuraret ait Cave Num. 1. & seq. Virtute atque eruditione excelluisse, Platina notat in vita Innocentii Quarti. Sic ille in Apoc: Mitte septem Ecclesiis &c........ „id „est universali Ecclesiæ quæ per septenarium desig-„natur, propter septem status Ecclesiæ universalis etiam „succedentis, quos habitura est, usque in finem seculi, „qui per septem nomina Ecclesiarum Asiæ designantur. „*In Cap.* 11. Smyrnæ Ecclesiæ scribe. Sicut per præce-„dentem status Ecclesiæ, in tempore Apostolorum de-„signatur, ut supra dictum est, sic per hunc angelum „status ipsius Ecclesiæ in tempore Martyrum, ubi mul-„tas tribulationes passi fuere sancti. Unde Smyrna in-„terpretatur Myrrha seu canticum. Et Angeli Eccl. Pergam „designatur status Ecclesiæ in tempore hæreticorum. Et „Angelo Thyatyræ designatur status Ecclesiæ universalis „tempore confessorum & expositorum scripturæ. &c. Idem „ad Cap. VI. Ostenduntur hic septem status Ecclesiæ per „septem sigillorum apertionem, quorum apertio est sta-„tus ecclesiæ revelatio.....Prima pars est secundum pri-„mum statum Ecclesiæ, qui fuit tempore Apostolorum, „qui designantur per equum album, cujus sessor est Chri-„stus, qui primum sigillum aperuit in primitivis patri-„bus primæ ecclesiæ......Secunda pars agit de secundo sta-

„tu

„tu Ecclesiæ, qui fuit tempore martyrum. Et cum ape-
„ruisset sigillum tertium tertia pars &c. Quia vidit diabolus
„se nihil proficere interficiendo martyres, sed magis
„virtute & patientia eorum ecclesiam roborari, susci-
„tavit hæreticos. Quarta pars de quarto statu ecclesiæ,
„scilicet de persecutione fallorum fratrum sc: hypocri-
„tarum......qui hodie multum abundant in ecclesia Dei,
„qui rectè per equum pallidum designantur, quia,
„ut de religione laudentur, jejuniis & afflictionibus mul-
„tis sese ipsos opprimunt coram hominibus, ut, viri-
„bus subtractis, & sanguine minorato, quasi jam mo-
„ribundi pallescant. Ad Cap. VIII. per hos itaque sep-
„tem angelos significantur septem consolationes eccle-
„siarum, vel septem ordines prædicatorum consolantium ec-
„clesiam, secundum septem status ipsius, Primo Judæo-
„rum 2. Principum Romanorum vel gentilium 3. hære-
„ticorum 4. falsorum fratrum 5. Antichristi & suorum.
„6. laxata sævitia & dolositas dæmonum, quibus om-
„nibus divina virtute devictis in voce septimi angeli nul-
lum est obstaculum. Parallelas facit Phialas ad Cap.
XVI. Verba, prolixitatis vitandæ gratia, non addam. U-
num id præterire non possum, quod Judæis tribuat *chara-
racterem bestiæ, quia* inquit, *conformantur Antichristo.*

De Thoma Aquinate nihil addam, cum satis super-
que celebris sit & nemini non cognitus. Scio esse, qui
putent, non Angelico Doctori Thomæ, sed Anglico hoc
opus adscribendum esse. Notavit id dudum Sixtus Se-
nensis, Alcazar. 26. Procem, in Apoc. ut & Angelus Rocha,
quare & in operum Thomæ editione Romana, Pii V.
Pontificis jussu edita, non reperitur; illis accedit in A-
baco Olearius, ut & Doctissimus Cave & alii; Thomas
Rembottus Florentinus secus censet & Aquinati adju-
dicat, ratione fultus non una. Ille Anglicus floruit
anno 1305. non autem demum anno. 1400. ut Trithe-
mius olim & non ita pridem Oudinus putarunt. Fieri
facile potuit, quod probe notavit Sixtus Senensis, ut
pro Anglico scriberetur Angelicus. Magnæ autem au-
ctoritatis & hunc quoque fuisse ex eo constat, quod Pa-
risiis & Londini Theologiam docuerit, postea factus Do-

minicanorum in Anglia Provincialis, & Regi Edovardo a Confessionibus, imo Cardinalis Episcopus Sabinensis renunciatus à Clemente V. Vide Cave.

Verba igitur, sive Angelici Thomæ, sive Anglici, tantum excerpamus, & ea quidem quibus mentem de septem periodis explicat, ut judicare queas, an non vel hoc unum testimonium ad amoliendam novitatis exprobrationem sufficiat. 144. 146. 147. 148. 161. 166. 220. 236. Sic ille; *juxta hunc modum intellige in aliis, quæ sequuntur, per septem sigilla signari septem obscuritates, sive septem occulta, quæ erant hominibus ignota, de septem statibus Ecclesiæ. Primum fuit de primitivo statu Ecclesiæ, quæ per Christum prædicantem & per Apostolos ædificata est. Secundum de persecutione Ecclesiæ tempore martyrum per infideles. Tertium de persecutione Ecclesiæ per hæreticos. Quartum de persecutione Ecclesiæ per falsos fratres, & sic deinceps, ut infra habetur. Per apertionem septem sigillorum signatur manifestatio illorum occultorum prædictorum, de septemplici statu Ecclesiæ quæ facta est per Agnum Joanni, & per Joannem Ecclesiæ. pag.* 146. *EQUUS ALBUS. Equus dicitur in primitiva Ecclesia prædicatores propter quatuor. Scilicet propter ferocitatem in prædliando contra tentationes vitiorum*, carnis, mundi, diaboli Job. XXXIX. Exultat audacter in occursum pergit armatis &c: de quo, id est Ecclesia vel justo, & maximè de prædicatore. Item. *propter officium in portando.*

Item propter ducubilitatem in obediendo Jacob. III. *Equos frena in ora mittimus, Ezechielis* 1. *Ubi erat impetus spiritus &c: Albus quia justus portat Deum per operationem,* 1 Cor. VI. *glorificate & portate Deum in corpore vestro prædicationem prædicando Act:* IX. *Vas electionis est mihi, iste, ut portet nomen meum. Item propter velocitatem in discurrendo Prov:* VI. *discurre, festina.* Albus *propter sinceritatem innocentiæ per baptismum vel gratiam. Psal. Asperges me Domine hyssopo.*

Et qui sedebat. &c. Hic describitur Christus quadrupliciter. Primo ut sessor ad regendum. Et qui sedebat super illum, hic est Christus qui insidet Ecclesiæ, sive in Justis per gratiam, inhabitat enim

in eis & regit eos Sap. VII. *Secundum aliam literam: Anima justi sedes est sapientiæ. Hæc autem sessio est mediante sella, scilicet justitia vitæ. Psal. Justitia & Judicium est præparatio sedis tuæ. Calcaria, sunt timor, quo declinatur malum, & amor, quo agitur bonum. Secundo, ut armatus ad vulnerandum, Habebat arcum, id est, scripturam, quæ percutit corda, ut vulneremur amore. Psal. Arcum suum tetendit & paravit illum. De hoc arcu tot procedunt sagittæ, quot verba sacra. Psal. Sagittæ potentis acutæ. In arcu est lignum durum, & corda mollis, quæ flectit lignum. Similiter in Sacra Scriptura Vetus Testamentum, quod habet duritiem: & Novum molle per gratiam, & mitigans vetus. Per hunc arcum vulnerantur quidam ad mortem per comminationem. Deutorono:* XXXII. *Congregabo super eos mala. Quidam ad medelam, per amoris suggestionem. Psal. Sagittas suas ardentibus effecit.....Et Exivit. Per effectum, & manifestationem. Exivit inquam, sedens equum, id est processit per discipulos ad convertendum homines videlicet ante passionem & post ascensionem. Ante passionem misit beatum Joannem Baptistam & discipulos, quos ipse per se converterat, de quorum missione Lucæ* IX. & X. *Post ascensionem similiter misit eos Marci ultimo. Euntes in mundum universum. Vincens prius in Judæis, quibus fuit primo prædicandum. Ut Vinceret, postea discipulos in Gentibus, quæ postea sunt per discipulos conversæ. Act.* XIII. *Audientes Gentes gavisæ sunt. Vincens, diabolum prius in se per arcum & passionem. Ut vinceret, in membris, id est, doceret nos suo exemplo & juvaret ad vincendum supra* IIII. *Vicit Leo &c: Hæc igitur apertio primi sigilli, id est, manifestatio primi status Ecclesiæ, scilicet quia Christus insidens Ecclesiæ sive suis discipulis, simul cum eis prædicavit & per arcum doctrinæ & passionem diabolum vicit: expellens eum de corporibus hominum. Et etiam potest hoc intelligi de prædicatione discipulorum. Post ascensionem, ut dictum est. Et cum aperuißet, hic agitur de apertione secundi sigilli, quæ pertinet ad statum persecutionis Ecclesiæ tempore martyrum per infideles, quod pertinet ad inordinationem respectu potentiæ; sequens autem per hæreticos pertinet ad inordinationem respectu sapientiæ; subsequens autem, scilicet quarta persecutio per falsos fratres, pertinet ad inordinationem bonitatis seu gratiæ.......Et cum aperuißet sigillum Quintum: apertio quinti sigilli pertinet ad tribulatorum*

cor-

consolationem.......Cum aperuisset sigillum sextum. Et ecce terræ motus, per ejus apertionem intelligitur manifestatio ejus quod erat occultum, scilicet de persecutione sub tempore Antichristi.......Et cum aperuisset sigillum septimum, per cujus apertionem signatur manifestatio septimi mysterii, quod prius erat clausum, scilicet de statu ecclesiæ post mortem Antichristi.. ..Nam primus Angelus ostendit damnationem Judæorum: secundus Martricidarum, scilicet gentium persequentium Ecclesiam: Tertius hæreticorum: Quartus falsorum fratrum. Tres vero ultimi sic differunt. Quintus enim Ostendit præcursores Antichristi, Sextus ipsum Antichristum cum suis, Septimus judicium & finem mundi.

Ibid. p. 29. versu 25. *Guilielmus de Sancto Amore* cujus jam p. 75. mentionem fecimus, præclarus profecto Scholæ Parisiensis Doctor, eorumque qui se Æterno Euangelio aliisque Monachorum commentis, mascule opposuerunt facile primipilus; imo ita *infensus Mendicantium ordinibus, dum in Ecclesia nascebantur, ut ab iis, in odii compensationem, summus audierit hæreticus* Oudin Supplem, Bellarm, de Scriptor, Eccles. p. 551. sic igitur laudatus ille Guiljelmus.

Apertum est quartum sigillum, & audivi vocem quartæ bestiæ, & dixit, Veni & vide, & ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi mors. Glos. Dicit, quod Joannes Duas ponit prophetias, & ponit triplicem persecutionem Ecclesiæ, signatam per triplicem equum, quem vidit: videlicet equum rubrum, nigrum, & pallidum. Sensus est, & non verba, & dicitur ibi, quod per equum rufum signatur persecutio facta per tyrannos, qui semper sævitiam suam exercuerunt, in Apostolos & S. martyres. Per nigrum equum persecutio ecclesiæ, facta per hæreticos, tempore Beati Augustini & Hilarii, tempore enim illorum magnam sustinuit Ecclesia persecutionem ab hæreticis. Sed equus pallidus signat persecutionem ecclesiæ, imminentem per hypocritas. Unde dicit ibi Glos. Videns diabolus per apertos tyrannos & manifestos hæreticos, se non posse proficere, mittit falsos fratres, qui sub habitu sanctitatis homines subvertant, in veritate Diabolus per tyrannos ecclesiam destruere conabatur, in hoc quod Apostolos

& alios sanctos morti tradebant: sed in veritate in se magis Ecclesia exaltata est, & sublimata. Sicut patet in Francia in duobus locis, per mortem Sancti Dionysii, Ecclesia apud sanctum Diouysium ditata est, & ipse rex cum omnibus suis ad fidem conversus est. Hoc etiam patet in Ecclesia Romana, quæ per mortem S. Nicasii ditata est, & sublimata. Unde cum videret Diabolus, quod per tyrannos fides Ecclesiæ multiplicaretur & confirmaretur, misit postea hæreticos: iu quos Sanctus Hilarius & sanctus Augustinus fidem defenderunt in tantum, quod hæresis ablata sit. Sed videns quod per istos duos equos nihil proficeret, ultimo misit equum pallidum, id est, hypocritas, & falsos fratres, qui sub habitu sanctitatis ecclesiam perturbent, & persecutio tertia hypocritarum major erit aliis duabus præcedentibus. In Sermone 11. Antilog. Papæ p. 183. 184. 185. edit Basil. Anni 1555. & in Appendice Collect. Edu. Crown. p. 50.

Serm: p. 29. versu. 2. *Aureolus.* Ipsius verba huc facientia reperiet Lector p. 60.

Serm: p. 29. versus 28. *Cosmas Hortolanus* ex Hispania ad Concilium Tridentinum delegatus Theologus. Ejus mentem hisce verbis exprimit Corn. a Lapide.

Primo apocalypseos sigillo equi albi & equitis coronam arcumque gestantis, ut ille putat, repræsentatur Christi incarnatio, prædicatio, gentiumque per apostolos subjectio; quo refert Canticum cap. 1. dicens: Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.

Secundo sigillo per equum rufum repræsentatur status martyrum Ecclesiæ, qui mox post Christum & Apostolos cæpit à Nerone, ac duravit usque ad Constantinum M. Eundemque notare putat Cant. 1. 3. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: & magis ordinatè Cap: 11. 12. Tempus putationis advenit, &c: Vineæ florentes dederunt oderem suum.

Tertio Apocalypsis sigillo per equum nigrum repræsentari secundam Ecclesiæ persecutionem per Arium & hæreticos. Eadem in Cantico repræsentari per vulpes cap. 11. 15. & magis ordinatè Cap. IV. 4.

Quarto

Quarto sigillo per equum pallidum repræsentari hypocritas, vel potius Mahometanos & Saracenos, qui validissimè Ecclesiam oppugnarunt & etiamnum oppugnant. Unde contra eos dici Cant. III. 7. *& magis ordinate* c. VI. 7.

Quinto sigillo aperto prodire animas interfectorum propter Verbum Dei, petentes vindictam, audireque, ut modicum quiescant: Quietem hanc Martyrum Ecclesiæ repræsentari Cant. V. 1. *& magis ordinatè* c. VIII. 2.

Sexto sigillo repræsentari Antichristi gravissimam persecutionem, eamque repræsentari Cant. V. 4. *& magis ordinatè cap.* VIII. 6.

Septimo sigillo repræsentari Christi adventum ad Judicium, post quem sequetur Ecclesiæ felicitas & gloria æterna: & idem hic repræsentari Cant. VI. 12. *& quæ sequuntur, usque ad finem libri & præsertim ultima verba: Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.*

Ad p. 29. Versu 29. *Johannes Gagnæsus, Parisiensis Theologus, Christianissimi Francorum Regis Francici ecclesiastes, ac primus eleemosynarius, vir in secularibus literis doctus, & in divinis scripturis, ac præsertim in declamandis homiliis absolutissimus.* Sixtus Senensis, Sic ille ad Apoc. „VI. Et ecce equus albus, Equus albus, electorum in pri„mitiva Ecclesia cætus, unda Baptismatis ablutus & donis „spiritualibus super nivem dealbatus: Sessor ejus Christus „est: qui in sanctis suis sedet & habitat.

„Et exivit alius equus rufus; Equus rufus, Romano„rum Imperatorum à Nerone ad Constantinum usque cho„rus intelligitur, martyrum sanguine rubefactus & cruen„tatus. Et qui sedebat super illum, agitator & impulsor „illorum est diabolus & datum est ei, ut sumeret, id est, „ut tolleret pacem de terra.

„Equus Niger, occultam hæreticorum versutiam um„bris & tenebris offuscatam, & ne agnoscatur palliatam „indicat. Cernens enim Diabolus nihil se martyrum perse„cu-

„cutione promovere, sed uno occiso multa millia repullu-
„lare, novos ecclesiæ hostes suscitavit hæreticos, apte
„per equum nigrum notatos, quippe, qui rejecto veræ fi-
„dei lumine, non nisi in tenebris ambulare possunt.

„Et cum aperuisset sigillum quartum. Videns antiquus
„hostis manifestata per sanctos doctores hæreticorum suo-
„rum, quibus insidet semper, versutia & perfidia, non jam
„proficere posse: quò verè pios seducat, falsorum fra-
„trum in hypocrisi degentium examina suscitat, quod o-
„stendens Joannes ait: Quum aperuisset sigillum quartum.
„i. e. procedente tempore & augescente fide, magis ma-
„gisque occulta aperirentur mysteria. Vidit Joannes equum
„pallidum. Equus pallidus hypocritarum & fallacium fra-
„trum cætus est, qui exterminant facies suas, ut appa-
„reant hominibus jejunantes.

„Et cum aperuisset quintum sigillum, id est, cum am-
„plius manifestari sacramenta divina cœpissent, Vidi sub-
„tus altare animas. Altare est Christus, super quem Deo
„Patri per fidem bona, quæ cogitamus, loquimur, aut fa-
„cimus, offerimus, sacramento sisi passionis ipsius. Subtus
„altare vero sunt animæ interfectorum, quia sanctorum
„animæ martyrum Deo & Christo se semper submisere &
„ob prædicatum Euangelii verbum, & annunciatum libe-
„rè de Christo testimonium morti sunt ab impiis tyrannis
„traditæ, à quibus zelo justitiæ vindicari quætunt, ut eo-
„rum exemplo resipiscant cæteri impii. Et datæ sunt illis
„singulæ stolæ albæ: per quas stolas albas singulas & indu-
„menta candida, singulorum beatificatio tantum, quod
„ad animam attinet, intelligitur:

„Et cum aperuisset sigillum sextum. Bona pars vete-
„rum doctorum hunc locum explicant de tempore Anti-
„christi instante judicio, quò tempore futurum etiam ad
„literam terræ motum magnum, & in sole luna, & stel-
„lis signa & prodigia videtur induere Christus. Luc: 21.
„& Mat: 24. Montes perfectiores in Ecclesia significant,
„qui de loco suo movebuntur vel quod à reproborum &
„impiorum societate, inter quos habitabant, discedent

„au-

„ audientes illud de Babylone propheticum: Exite de illa „ popule mi vel quod terrore perciti, etsi fidem negaturi „ non sunt, ab illo tamen constantis fidei gradu nonnihil „ recedent.

„ Et cum aperuisset sigillum septimum In Apertione si„ gilli septimi, novissima ætate, appetente judicio post „ mortem Antichristi factum est silentium magnum in cælo. „ magna quies & pax in Ecclesia militante: præteri„ tum autem pro futuro in prophetia hac sumitur, facta „ itaque est quies cessante Antichristi persecutione, idque „ tantum media hora, id est, brevi tempore: quia cito „ post mortem Antichristi veniet in judicium Deus.

„ Et septem Angeli, qui habebant Septem Tubas, para„ verunt se ut tuba canerent, id est, universi prædicato„ res ad prædicandum Dei verbum se accinxerunt. Et „ primus Angelus tuba cecinit, quando in Judæa primi „ omnium Apostoli, & discipuli dominicæ resurrectio„ nis adeoque nostræ justificationis angeli fuerunt, & „ nuntii.

„ Et secundus angelus tuba cecinit, id est. Secundus „ prædicantium ordo statim à cæsis & mortuis & Aposto„ lis, & domini discipulis.

„ Et tertius angelus tuba cecinit, id est, tertius docto„ rum & prædicatorum ordo adversus hæreticos prædicare „ cæpit. Et cecidit de cælo stella magna ardens tanquam „ facula, id est, ab unitate Ecclesiæ, quæ regnum cælo„ rum dicitur, recessit stella magna, id est, in oculis suis „ magnus ac superbus hæresiarcha ille Arrius, cum simi„ lium sui hæreticorum caterva: In tertiam ergo partem „ fluminum & fontes aquarum cecidit stella illa magna, „ quando in sacras scripturas sanctorumque monumenta, „ ut suos errores ex iis male intellectis & perperam suo ar„ bitratu interpretatis, tueretur incidit.

„ Et quartus Angelus tuba cecinit, prædicatorum quartus „ ordo prædicare cæpit, sunt enim qui neque charitate ardent „ ne-

"neque doctrina lucent, (atque utinam tertia tantum
"pars) sed simulatam tantum verorum pastorum & recto-
"rum personam gerunt: Istius Solis & Lunæ similiter, id
"est, inferiorum Ecclesiasticorum, stellarum quoque, id
"est Laicorum fidelium obscuritate percussa est pars Ter-
"tia, aut per morum dissolutionem, aut per virtutum si-
"mulationem, vel intellige quod ii quatuor, angelo tu-
"ba canente, percussi sunt.

"Et Vidi stellam de cælo cecidisse in terram: conten-
"ta in quinti Angeli visione omnes pene de hæreticis
"intelligi dicunt, bona vero pars de hæreticis, qui, in-
"stante Antichristi tempore, tanquam ejus præcursores
"exorituri sunt: quales, magno Ecclesiæ damno, pene in-
"numeri hac nostra ætate surrexere.

"Et Sextus Angelus &c. Vox ergo ex quatuor altaris
"aurei cornibus prodiens, unitas est & Sanctorum prædi-
"catorum concordia: quàm quidem vocem audivit Joan-
"nes dicentem Sexto angelo, qui habebat tubam, solvè
"quatuor Angelos, qui alligati sunt in magno flumine
Euphrate: veniente autem Antichristo solventur, ma-
"jore illis permissa potestate.

Serm: p. 29. versu 29. *Similesque, qui ordine fere temporis &c.* Quam communis hæc & recepta fuerit sententia, videre est ex insigni opere, quod *Onus Ecclesiæ* inscribitur. Liber est scriptus contra Tyrannidem Papæ & Cleri Pontificii, sunt Verba Flaccii in Indice. Præfert in uno exemplari nomen Johannis Episcopi Chemensis, verum in alio, quod pariter penes me est, non reperitur. At cum Carolum Quintum memoret, nondum electum, non habuit Flaccius, quod de seculo, quo floruerit, dubius hæreret.

Wolphius in Memorabilibus Lectionibus. Cent. IX. p. 187. confirmat id quod in altero meo exemplari reperio. Vignier in Indice Auctorum Allegatorum in Tractatu Gallico Theatre de l'Antichrist, dicit *continere res admirandas spectantes septem status Ecclesiæ, & colligere infinitum prophetiarum lectu dignarum numerum.*

Certe ita recepta fuit & communis illa de ſeptem temporibus ſententia, ut Auctor jam memoratus de Veteribus non ſolum & in Sacro Codice reperiundis, verum & de Novis, qui ſeculis propius præcedentibus floruerunt, locutus, hæc ſubjungat, *Concorditer namque inſinuant, quod in fine quinti Status*, in quo *nunc ſumus*, (anno nimirum 1519. inchoata per Lutherum Reformatione,) *& in decurſu Sexti ſtatus, in quo nunc ſumus (ut infra patebit) Eccleſia præſertim Latina tantam patietur tribulationem, quantam hactenus non ſit perpeſſa.*

Adenda ſunt nonnulla quibus mentem ſuam de Septem temporibus ſeu Periodis explicat. Fol: XII.

Septenarii præſcripti & quam plures alii utriuſque teſtamenti coaptantur ad ſeptem eccleſiæ ſtatus. Quorum primus eſt Apoſtolorum. Secundus martyrum. Tertius doctorum. Quartus Anachoritarum. Quintus gratiæ & remiſſionis. Sextus reformationis. Septimus ſtatus erit quietis temporalis uſque ad extremum judicium. Poſt quod ſequetur ſtatus Octavus, qui vocatur remuneratiuus, quando devenitur ad conſpectum Domini. Unde in Levitico: Qui ab immunditia fluxus ſanguinis ſanatus fuerit numerabit ſeptem dies poſt emendationem ſui, die autem octavo veniet in conſpectu Domini. Et infra: *Bos, ovis & capra cum genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ, hoc eſt, ſub regula militantis Eccleſiæ, Die autem octavo, id eſt, in eccleſia triumphante, offerri poterunt Domino. Ille etenim cæleſtis ſtatus erit æternus, finem alium præter Deum non habiturus. Cæteri vero terreſtris eccleſiæ ſtatus tempore terminantur.*

Neque deinceps defuere, qui in Papatu, Scripturæ ſe ſtudio applicantes præ aliis, hanc ipſam veritatem paſſim docuerunt atque inculcarunt. Occurrit *Petrus Bulengerus*, cujus encomia Lector reperiet apud Sammarthanum in Elog. Virorum Illuſt. p. 175. Sic ille in Apocal. VI.

„Aſpexi, igitur & ecce aderat equus albus. Apoſtolo-„rum ſcilicet ac Electorum in primitiva Eccleſia cætus, „à peccatis unda baptiſmatis ablutus, & donis ſpirituali-„bus ſuper nivem dealbatus. Et qui inſidebat ei Chriſtus „in

,,in sanctis suis habitans, arcum habebat, puta Euange-
,,lium, cujus prædicatione, quæ ad ejus nutum dispensa-
,,tur. Gentes quæ longe erant, ipsi subjiciuntur, non ali-
,,ter ac ex arcu longè emissis sagittis sternuntur hostes:
,,Et data est ei corona, quæ ubi quis rerum potitus est,
,,pacati ejus regni est insigne, hoc est dominandi potestas
,,& regius principatus. Ipse enim peccatum, mortem &
,,Satanam prostravit. Ac is qui per resurrectionem & ascen-
,,sionem suam jam victor erat, rursum prodiit, ut vince-
,,ret, non dubio quidem Marte certamen cum hoste su-
,,scipiens: sed victoriæ certus & triumphi.....Equus rufus.
,,Romanorum scilicet Imperatorum, aliòrumque crude-
,,lium tyrrannorum & ecclesiæ persecutorum à Nerone ad
,,Constantinum usque chorus, martyrum ac servorum
,,Christi sanguine rubefactus & cruentatus: cui qui insi-
,,debat diabolus, princeps & caput impiorum omnium,
,,pro arbitrio in filiis contumacibus agens.

,,Equus niger, occulta scilicet hæreticorum versutia,
,,umbris & tenebris offuscata, ne agnoscatur. Hi enim cum
,,rejecto fidei lumine, à Satana tenebrarum principe in or-
,,bem mittantur, non nisi tenebras in quibus ambulant, in-
,,ducere possunt: Et qui insidebat ei diabolus, postea quam
,,vidit nihil se martyrum persecutione promovere, sed
,,uno occiso multa millia repullulare, novos Ecclesiæ ho-
,,stes suscitaturus, eos ipsos inhabitare cæpit......Tum ad-
,,spexi, & ecce aderat equus Pallidus, nimirum hypo-
,,critarum & fallacium fratrum cætus externa carnis ma-
,,ceratione pallens, quos antiquus dei hostis videns, de-
,,tecta per sanctos doctores hæreticorum, quibus semper
,,insidet, versutia atque perfidia, se jam proficere non
,,posse, excitat, ut verè pios seducat, & per eorum hy-
,,pocrisim subvertat ecclesiam. In illis nulla vis Spiritus
,,sancti viget, nihil spiritualis apparet vitæ, sed species
,,tantum pietatis, cujus tamen vim prorsus abnegarunt:
,,demoliuntur & obscurant facies suas ut appareant ho-
,,minibus jejunare, ficta macie tristique pallore sanctimo-
,,niam simulantes: orant in vicis & plateis, ut per longas
,,orationes devorent viduarum domos: labiis tantum
,,Deum honorant, cum interim cor ipsorum longe ab eo

„ abſiſtat: omnia ſua faciunt, ut videantur ab hominibus:
„ breviter, cum fide careant, ſe tamen verè fideles & ver-
„ bis & ſimulatis actionibus mentiuntur, ut vix à piis &
„ ſinceris Dei cultoribus diſcerni valeant. Hac hypocriſi
„ ſatanas verè piorum fidem ne vivant, pervertere cona-
„ tur.....Deinde aſpexi, cum aperuiſſet ſextum ſigillum
„ Antichriſti ſcilicet tempore, extremo inſtante judicio:
„ frequentes terræ motus per diverſa loca facti ſunt,
„ p. 228.

„ Ad Apoc: VIII. primus igitur Prædicatorum ordo
„ cætus ſcilicet Apoſtolorum & diſcipulorum tum Euan-
„ gelica tuba cecinit, quum Dominicæ reſurrectionis at-
„ que adeo noſtræ juſtificationis Angelus & nuncius fuit.
„ Secundus prædicantium ordo ſtatim à cæſis & mortuis
„ Apoſtolis & diſcipulis Domini clanxit, Euangelicaque
„ tuba cecinit.......... Tertius Doctorum & prædicatorum
„ ordo adverſus hæreticos prædicare cepit. Et primus An-
„ gelus tuba cecinit. Angelus autem hoc loco ſignificat
„ quotquot ſtatim ab initio Euangelii veritatem & aperue-
„ runt, & publico præconio nuntiarunt, Apoſtolos inquam
„ atque diſcipulos. Hujus modi præcones ſub equi albi figu-
„ ra prius D. Joannes cap. 6. deſcripſit.

„ Et Angelus ſecundus, tuba cecinit, per Angelum ſe-
„ cundum intelliguntur fideles omnes verbi miniſtri & præ-
„ cones, qui, aperto ſecundo ſigillo, Chriſtum docuerunt.
„ Agitur enim hic de horrendis perſecutionibus Euangelii
„ cauſa ſubortis: Sed nonnihil ſimul additur de eorum in-
„ teritu qui fidos verbi præcones, ac cæteros Dei cultores
„ perſecuti fuerint.

„ Et tertius Angelus tuba cecinit. Quoniam non
„ uno ac ſimplici modo Eccleſia rebus adverſis exerce-
„ tur, nunc aliam perſecutionis ſpeciem proponit D.
„ Joannes, qua ſcilicet Eccleſia Chriſti ab hæreticis ac
„ ſacræ Doctrinæ corruptoribus cruciatur. Immanis autem
„ & ſæva admodum perſecutio. Nam perinde eſt ac ſi vene-
„ num pro cibo eſurienti cuipiam porrigeretur. Hic autem
„ Angelus typus eſt omnium prædicatorum verbi Dei
„ qui ſub tertio fuere ſigillo.

„ Quartus deinde prædicatorum ordo concionari cæpit
„ ...

„& obſcuritate percuſſa eſt tertia pars eorum, qui per ſo-
„lem ſignificati, cum Eccleſiæ præſideant, cæteris morum
„Doctrinæque exemplo prælucere debent, atque iis offu-
„ſa eſt tenebris, ut neque jam Doctrina luceret, neque
„arderet charitate, ſimulatam duntaxat paſtorum & recto-
„rum perſonam gerens: tertia item pars inferioris ordi-
„nis Eccleſiaſticorum, tertia quoque pars laicorum fide-
„lium qui utrique per lunam & ſtellas nocte lucentes de-
„ſignantur adeo obſcurata eſt, tum per morum diſſolutio-
„nem, tum per ſimulationem virtutum, ut nihil in ipſis
„inventum ſit lucidum, concionantibus piis doctoribus,
„& eorum vitia ſimulatamque virtutem detegentibus.
„Quo factum eſt, ut ſupremorum paſtorum & inferio-
„riorum Eccleſiaſticorum ac laicorum fidelium ſimiliter
„pars tertia hypocriſi obumbrata, veræ fidei integritate
„morumque & vitæ puritate non fulgeret......hujuſmodi
„vero qui & doctrina & moribus aliis prælucere debent,
„ut iis dignitate præſtent, ſunt Papa, Cardinales, Ar-
„chiepiſcopi & Epiſcopi, qui hic per Solem ſignificantur.
„Neque enim Chriſtus, qui ſol eſt juſtitiæ, & candor
„æternæ lucis, in ſe ipſo percutitur, ſed in ſuis, qui ip-
„ſorum culpa aliquando obtenebreſcunt: olim enim cum
„vigerent hæretici, aut tyranni in Chriſtianos ſævirent,
„erant admodum Sancti Epiſcopi: poſtea autem reddita
„undique pace, cæperunt Eccleſiæ præfecti negligentius
„agere, & quadam ſecuritate torpere, deliciis magna
„ex parte & corporis voluptatibus ſervientes, eccleſiaſti-
„cæque dignitatis munia atque functiones in infamem com-
„mutantes quæſtum ac tenebrarum negotium ut divus Ber-
„nardus loquitur, nec animarum quærentes ſalutem, ſed
„voluptatem divitiarum.

Tum Quintus prædicatorum ordo in quinto Eccleſiæ ſtatu, tempore ſcilicet emiſſariorum & excurſorum Antichriſti, clamavit & in eas concionatus eſt, qui viam Antichriſto præparabant. Tum Sextus prædicatorum ordo &c: Atque ea quidem vox dicebat ſexto Angelo tubam habenti, ſexto ſcilicet concionatorum ordini, quibus ex officio incumbebat prædicare in ſexto Eccleſiæ ſtatu ſub Antichriſti tempora........Sextus, inquit, Angelus tuba cecinit. Per eum autem univerſos verbi miniſtros deſignat, qui ſub apertione ſexti ſigilli purè conſtanter

& sincere Christum docent. Hi sunt novissimi certaminis milites, qui juxta Euangelicæ & Catholicæ doctrinæ veritatem fraudes Antichristi detegunt &c.

Ad Apoc. 16. *Abiit igitur primus Angelus, & effudit phialam suam, iram scilicet Dei, idque tempore apertionis sigilli primi, & sonitus primæ tubæ, in excæcatissimam Judæorum synagogam, quæ á Deo rejecta ad ipsius populum jam non spectat, atque á Deo in homines eos, qui terrenarum rerum vanitate trahuntur. Et factum est ulcus malum ac noxium ardensque in pectore cruciatus, adversus eos quos impii Judæorum Rabbini seduxerunt, sive ex Israele sive ex gentibus, in quibus fuit Antichristi spiritus: adversus etiam eos omnes, qui bestiæ charactorem habebant. Antichristi perfidiam profitentes & eos qui adorabant imaginem ejus, quoquo modo consensum dantes in ipsius impietatem, imitantes eum & illius faventes erroribus. In his omnis Antichristi relucet imago per consentaneas actiones & impiæ doctrinæ approbationem. Deinde secundus angelus divinæ iræ phialam effudit in mare. Gentiles, inquam, ob multiplicem variorum deorum cultum instar maris, quod quiescere nequit, vagos & instabiles, ac in præsentis seculi mutabilitatem: factumque est mare quasi sanguis putris niger ac saniosus, qualis est in mortuorum cadaveribus........Tum Angelus tertius effudit phialam suam in flumina & fontes aquarum, nimirum in pseudo prophetas, impostores & hæreticos, qui dulces Scripturarum fontes corruptis suis interpretationibus turbant, & sua somnia loco verbi Dei populo annuntiant, sanam & catholicam Ecclesiæ Christi Doctrinam omnibus modis persequentes: in cæteros item Antichristi satellites & ministros, qui pios & fideles districto gladio persecuti sunt.......Postea Quartus Angelus effudit phialam suam, iramque & ultionem divinam in Antichristum, qui se solem justitiæ, id est, Christum esse mentietur & se sua claritate mundum illustrare finget. Et á Deo permissum est ei æstu affligere homines per ignem, variisque premere persecutionum generibus fideles ad tempus credentes, ac baptizatos quidem, non tamen Electos, ut qui á fide Christi deficientes non agant pœnitentiam. Et maximo conscientiæ æstu cruciati sunt homines, graviterque ab Antichristo oppressi, cum Euangelii & catholicæ Doctrinæ veritate contempta, Christoque neglecto, causam salutis*

lutis in externis operibus quærerent, impiis hæreticorum dogmatibus autem commodantes, & inania hominum figmenta pro legitimo Dei cultu amplectentes..... Tum Quintus Angelus effudit phialam suam, iramque simul & ultionem divinam in thronum Antichristi, Satellites & ministros ejus: Et factum est regnum ejus tenebrosum, omnis lucis ac divinæ veritatis expers, erroribus ac abominationibus plenum, excæcatis impiis sua perfidia & ignorantia ne verum lumen viderent. Et mandebant linguas suas, quibus in Deum & servos illius infandas effuderunt blasphemias, præ illati sibi vulneris dolore, ac præ invidia, videntes nullis se minis, nullis afflictionibus Electos à fide posse avertere. Et convitiis Deum cæli affecerunt præ doloribus & ulceribus suis, nec ab operibus suis pravis resipuerunt, tantum abest, ut ad percutientem se reverterentur, ut darent illi gloriam, ut se peccatores agnoscerent, Deum vero justum, qui meritas irrogat pœnas, & ut illas pro sua benignitate mitigaret, precarentur, ut majoribus conviciis & blasphemiis, quam antea Deum ipsum afficerent. Quo magis enim arguuntur & reprehenduntur, eò vehementius errores suos defendunt. In his perseverant, indies eos magis atque magis augent......Tum Sextus Angelus phialam suam effudit, & iram divinam in flumen illud magnum, nempe Euphratem, qui Babylonem præter fluit, & in principes Antichristi Satellites, cæterosque hujus seculi divites, & potentes, ipsi faventes, confusæ Babilonis, hoc est, hujus mundi negotiis se implicantes. Et siccata est aqua ejus, effusa in ipsum iræ divinæ phiala. Nam principibus Antichristi satellitibus vindicta Dei correptis, persequutiones cessarunt, & illa è medio sublata sunt, quæcunque obstaculò esse poterant, quo minus universi orbis Electi ad veritatis cognitionem pervenirent, ut ab ortu solis justitiæ Christi via regum pararetur, qui nisi in eorum cordibus oriatur, ad ipsum nunquam accedent. Finitis autem persecutionibus, & persecutoribus extinctis, libera erit regibus & gentibus ad Deum & Christum accedendi facultas. Nullum amplius erit obstaculum, quod longe dissitos arceat ab auditu Catholicæ & Euangelicæ Doctrinæ. Sed longè latèque regnum Christi propagabitur, & tenebrosum Antichristi regnum minuetur, exolescet, abolebitur...... Tum Septimus Angelus effudit phialam divinæ indignationis in aërios demones ac spiritus malignos, quorum damnatio multo acerbior futura est post diem judicii,

quam nunc, cum adhuc in caliginoso aëre habitant ad tentandos homines, & incautos in varios errores suis mendaciis & imposturis, inque densissimas tenebras, in quibus usque versantes veritatis lumen haud agnoscant. Et prodiit magna vox e templo cœli à throno, nimirum à majestate judicaturi Dei dicens: jam de mundo actum est: omnia consummata sunt, quæ continentur in dictis septem phialis: instat jam finis mundi: factum est Christo in Deo regnum, abolita in universum adversaria potestate, prout in sanctis scripturis prædictum fuit, & ab omni æternitate definitum.

Audiendus etiam est *Cœlius Pannonius*.

Königius notat vero nomine vocatum fuisse Franciscum Georgium, Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ Monachum: liber impressus est Venetiis anno 1547. Reperio apud Gesnerum Franciscum Georgium, qui Minorita fuerit Venetus, & ediderit problemata in Sacram Scripturam. An idem sit, qui, Cœlii Pannonii nomine, in Apocalypsin scripserit, mihi equidem non constat. Editus est Commentarius cum Privilegio Summi Pontificis.

De septem Ecclesiis mentem explicat ea ratione, ut de consensu ipsius, cum reliquis, hac quidem in parte, nemo dubitare possit. De septem sigillis hæc habet Fol. 102.

☞ Edit. Venetæ MDXLVII. *Septem hæc sigilla septem tempora signant, quibus variis ac miris modis exercetur Ecclesia. Apertio sigilli revelatio est sacramenti: indicat sanè manifestationem earum rerum, quæ sub unoquoque tempore fieri oportet.* (folio 102. verso.) *Et ecce equus albus: Apostoli & discipuli priores ii sunt, quos etiam Spiritus Sanctus equos vocat Zach: 10. fol. 103. Quia primum sigillum apostolorum diebus conveniebat: secundum hoc, de tempore, quod fuit mox post Apostolos, intelligendum est: verum de ejus initio aut fine nihil certi habemus, quod afferamus. Igitur hoc sigillum maxime apertum fuit, quum dominus Jesus Christus, sublatis è medio Apostolis, & primis illis discipulis, multos ex his, qui ex gentibus crediderant, sic Spiritu suo roboravit, ut coram quovis judice intrepide illum profiterentur, damnarent errores,*

Pseudo-Apostolos palam confutarent, eorumque introducta mendacia traducerent. Fol. 103. verso...... Equus rufus typum tenet eorum, qui Sanctos Christi confessores, post Apostolorum tempora passim occidebant, qui toti madebant sanguine justorum, & toti in sanguine erant. Equus albus retulit apostolos, ejusque temporis discipulos Christi: Fol: 104. verso..... Hi, quos excitavit Satan ad ejusmodi hæreses asserendas, sunt equus niger. Quemadmodum enim Apostoli, & universi sinceri verbi Dei ministri equo albo figurantur: ita impostores, & errorum asertores nigro..... Sol: 108.

Simul ergo ab hoc tempore cæpit Ecclesia vexari & Muhametanis hostibus & internis hypocritis hæreticis, ex quibus illi orti prodiere. Fol: 109. Resignatio hujus quinti sigilli typus est revelationis mysterii, quinti temporis, quod immediate sequi debuit post quartum tempus, cum quo & continuatur. Fol: 112....... Apertio, sigilli hujus sexti sextam ecclesiæ ætatem, quæ erit sub magno antichristo indicat: quando universa terra, & totus orbis movebitur..... Fol: 128. verso. Apertio, septimi sigilli indicat mysterii, quod futurum est septimo tempore Ecclesiæ Christi, revelationem: quando totus fere mundus convertetur ad Christum, & cantabitur ab omnibus in exultatione cordis Hallelujah. Primum, qui liberati sunt à bestia illa coccinea plena blasphemiæ nominibus, de quo infra habetur. Secundo, qui ad veritatis agnitionem libere admissi sunt, Judæi Græci, Scythæ, Thraces, Turcæ, Arabes, Tartari & alii, O quam beatus, qui id tempus felicissimum viderit. Fol: 119. verso. Nota, septem angeli sunt ministri verbi Dei omnium temporum, sic ut primus sit typus eorum, qui sub apertione primi sigilli verbum Dei sanctum docuerunt, ii sunt Apostoli Christi, missi in omnem terram, discipulique alii, quibus creditum erat verbum Dei. Quia enim sigillorum apertio mysteriorum revelatio est, quod secundum præfinitionem Dei fit medio prædicatorum: idcirco singulæ tubæ, singulis apertionibus sigillorum, conveniunt ut patebit..... Fol: 244. Septem plagæ angelorum, hoc est, donec septem tempora evolverentur à passione, & resurrectione domini usque in finem, in quibus septem tempora evolvi necesse est; & in his septem mala insignia nocitura solis reprobis, intercurrent. In quem sextum adducitur illud Psal. 72. Si dicebam narrabo sic, ecce nationem filiorum

tuorum reprobavi. Existimabam ut cognoscerem, hoc labor est ante me, donec inirem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum. Sensus verbi est. Dicit propheta, proponebam aliquando narrare prospera populi hujus Judaici: Sed dicit mihi Spiritus, non dubium quin sanctus, Ecce nationem, id est, multitudinem filiorum tuorum rejeci, Quare? Propter eorum ignorationem: quia videlicet ad apertam fidei lucem oculos nolunt aperire. Denique sequitur conjectatio prophetæ in persona populi Isaëlitici, arbitrabar, inquit, ut ego noticiam Dei assequerer, sed in hac re difficultas mihi permaxima incubuit: & non prius id assequar nisi dum intravero in ecclesiam catholicam credendo. Quando hoc fiet? In novissimis illis temporibus: tunc enim intelligam fidei mysteria, quæ in septem temporibus implebuntur... Fol. 245. verso. Primus angelus, primus ordo est ministrorum verbi Dei, primi temporis, quod sibi vendicant Apostoli Christi, & Evangelistæ ejus, qui primum jussu Christi phialam suam effudere in terram, quæ judæos proprie exprimit, dicente scriptura Job: 29. Terra, de qua oriebatur panis, igne consumpta est, id est, Judæi, à quibus procedebant eloquia Dei, igne invidiæ consumpti sunt: ad quod factum est in eis vulnus sævum ac pessimum in omnes.... Fol. 248. verso. Fiunt ergo aquæ scripturarum sanguis quando carnali sensu corrumpuntur: hoc est insalubres, & quæ bibi non possint. Quod maximè sub effusione phialæ tertiæ fuit, & tubæ tertiæ, ut prænotatum est abunde. Cessante namque persecutione gladii sub Constantino Magno, Satan aliud genus pugnæ multo nocentius gladio in hæreticis excitavit, qui in verbo vitæ contra Ecclesiam cæperunt depugnare: authore primum Arrio Alexandrino sacerdote, circa tertii temporis exordium. Fol. 257. verso. Adveniente septimo tempore electi plurimi, qui prius sub Antichristo vasa iræ erant, post illius exterminium convocabuntur ad Christum reconciliati per pænitentiam ut essent deinceps vasa gratiæ electionisque.

Quin ipso Foxo, sententiæ ceteroquin nostræ adversario, si credas, in Apoc. Fol. 49. *prædicat & Thomas & cæteri post eum Theologi, secundum sigillum spectare ad perturbationem Ecclesiæ, sub Romanis Cæsaribus, ad Constantini tempora.* Hinc de reliquis quid senserint & an seriem successivam agnoverint nec ne Lector judicet.

Serm: Pag. 32. v. 8. *Serabaitis se &c.* Nominis hujus originem apud Barbaros quæsivit non infeliciter Bochartus: notat enim quod *Sarab* Hebræis rebellare significat.

Nec Ægyptiis fuit ignota vox. Nam in Ægypto Sarabaitas inde vocabant Monachos quosdam, qui, *omni jugo excusso, suo arbitratu vivebant, quasi Renuitas dixissent.* de Anim. L. iv. Cap. xiv. Pag. 550. Addit loca ex Cassiano, Isidoro, non Cordubensi, sed Juniore, ut & Odone Cluniacensi. Debet hæc Hospiniano de Monachis L. ii. Cap. i. qui ex Hieronymo, genus Monachorum memorat quod *Remboth* dicebatur: qui prorsus iidem esse videntur quos Cassianus appellat Sarabaitas, quibus non absimiles fuerint *Gyrovagi* dicti. Id addit Bochartus quod Ezechiel nomèn סרבים *Sarabim* eodem sensu usurper, *pro iis, qui renuentes jugo Dei se submittere & propriis affectibus indulgentes, extra præscriptum Legis iter in transversum abripi se sinebant.* Quando autem adverto animum ad eorum fidem & mores, qui tempore Joh: xxii. *Serabaitæ* dicti fuere, dubium mihi oritur, an non forte inde à tempore Cassiani fuerint, qui Cœnobiorum, jam Basilii tempore ita inquinatorum, impuritatem aversantes, se Abbatibus subduxerint, eamque solum ob causam malè audierint Cænobiorum patronis, quorum non infimæ tum dignitatis fuit tum auctoritatis *Cassianus*, cujus libri à Gelasio in concilio lxx. Episcoporum damnati sunt, & recte ait Joh: Gerhardi *scripsit enim Cassianus contra Prosperum.*

Serm: Pag 34. versu 13. *Jacobum de Paradiso. &c.* Allegatur in Catalogo testium veritatis Pag. 1905. *Jacobus de Gruitrode Cartusiensis floruit circa annum Domini* 1440. *Scripsit inter cætera etiam de Septem statibus Ecclesiæ in Apocalypsi descriptis, & de authoritate Ecclesiæ, ejusque* NB. *reformatione, In quo scripto multum accusat prælatos, curiam Romanam & Papam.* Hactenus *Flaccius Illyricus. Hottingerus* Hist. Eccl. Serv: xv. Sect: i. p. 191. nonnulla ex ipso profert à Flaccio in Catalogo jam notata. Flaccius saltem in ea quam penes me habeo editione non habet *Cruitrode* Sed *Gruitrode.* Binominem fuisse jam in ipso Sermone Academico ex Joh: Lydio vidit Lector. Ut ut sit, per me licet, fuerit alius

&

& quidem Erfordienſis Doctor, In margine ipſius Tractatus, ex editione Baſileenſi hæc reperio, *Vixit hic Jacobus ante ducentos annos Erfordiæ, & ſcripſit multa alia, in quibus mediocriter momordit Papam ejuſque ſpirituales.*

Gruitrodius autem diem ſuum obiit Prid. Idus Febr. CIↃCCCCLXXI. teſtibus Valerio Andreæ & Sweertio, ad annum CIↃCCCCLX. video Langium in Chron. Citizenſi utriuſque tanquam diverſi mentionem facere. Hæc verba ex ipſius tractatu excerpenda putavi. Eadem in Appendice ad Faſcic. Rerum Expetend. &c. Eduardus Broun.

„Et apertio ſigillorum non eſt aliud, niſi ſtatuum „Eccleſiæ manifeſtatio, uſque in finem ſeculi.

„Aperto primo ſigillo, viſus eſt à Johanne equus al„bus, id eſt, ſtatus Eccleſiæ tempore Apoſtolorum pu„riſſimus,

„In apertione ſecundi ſigilli, vidit Johannes equum „rufum, in quo ſignatur ſecundus ſtatus Eccleſiæ, qui „eſt ſtatus ſanctorum martyrum tempore tyrannorum, „ſcilicet principum & imperatorum gentilium, à tempo„re Neronis uſque ad tempus Conſtantini,

„In apertione tertii ſigilli, id eſt, in tertio ſtatu Eccle„ſiæ, vidit Johannes equum nigrum, qui eſt ſcelus hære„reticorum, eccleſiam perſequentium, niger in vitiis, in „quo nulla claritas lucet veritatis, nec albedo æquitatis. „Et hoc tempus erat tempus Arrii, & aliorum, ut in „Eccleſiaſtica narratur hiſtoria:

„In apertione quarti ſigilli, viſus eſt equus pallidus: id „eſt, in quarto gradu viguerunt hypocritæ, falſa religio„ne palliati. Et qui ſedebat ſuper illum, nomen illi mors: „id eſt, æterna damnatio illis debetur. Unde & infernus „ſequebatur eum In quo ſtatu, ut arbitrari poſſum, NB. ho„die laboramus. Qui ſtatus quintus, credendus eſt par„tim competere animabus ſanctis, jam exutis corporibus:

„partim

,, partim etiam ſanctis adhuc in hac vita degentibus, etiam ,, tempore pacis Eccleſiæ: qui licet materiali gladio non ,, trucidantur, tamen ſeipſos mortificatione deſideriorum ,, carnalium quotidie mactant, quaſi videntes ſe ubique ,, hypocritis & fictis hominibus ſive religioſis ſive ſæcula- ,, ribus circumſeptos, tædio affecti, longitudine tempo- ,, rum, & acerbitate hypocritarum ubique prævalentium, ,, orant diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

,, In apertione ſexti ſigilli, quod nihil aliud eſt quàm ,, manifeſtatio ſexti ſtatus in Eccleſia, vidit beatus Johan- ,, nes magnum terræ motum fieri, & ſolem denigrari, ,, ſicut cilicinum ſaccum, & lunam ſanguineam, & ſtellas ,, cadere ſuper terram, & cœlum recedere ſicut librum in- ,, volutum, &c vide Apocal. 6. circa finem. In quo de- ,, ſignatur tempus Antichriſti,

,, Deinde circa finem ſeptimi capitis, ponit Johannes ,, ſeptimum & ultimum ſtatum Eccleſiæ, ceſſante perſe- ,, quutione Antichriſti, & eo occiſo, in viſione apertionis ,, ſeptimi ſigilli, ejus qualitatem exprimit dicens.

Verum uti mirari ſatis non poſſum, jam ineunte ſe- culo decimo quinto, ita, abſque omni hæſitatione, de inſtante Eccleſiæ Reformatione, eaque futura aperto *ſigillo Sexto*, locutum fuiſſe: ita gratum Lectori erit nonnulla le- giſſe, quæ idem Jacobus de illa Reformatione pluribus diſ- ſeruit. ,, Etſi quandoque conatus Deum timentium, ad re- ,, formandum operam dare intendat, tamen in hoc mundo ,, celebriores & potentes viros, plus Eccleſiaſticos quam ſe- ,, culares, videmus ſe fortiter opponere, adhæſionem ſibi ,, attrahentes principum & potentum ſecularium, quorum ,, multitudo aut potentia ſcintillam inchoatam extinguit. ,, Alia aſcendit de terra, id eſt, quæ deberet ſtabilis & im- ,, mobilis perſiſtere: per quam (ſecundum Gloſſam) in- ,, telligitur malicia clericorum, & cupiditas prælatorum ,, Eccleſiam impugnantium.

,, Reformationem autem generalem eccleſiæ, extremè ,, neceſſariam fore noſtris temporibus, mores corrupti to- ,, tius

,, tius orbis pronunciant: Item, quia palpabiliter cernitur,
,, ipsam ejus curiam maxima indigere reformatione, sicut
,, omnia clamaverunt ultimo celebrata generalia Concilia:
,, Quam suam curiam, si non potest aut non velit refor-
,, mare, quam sub aliis suis contegit: quomodo creden-
,, dum est, quod tam latè diffusam reformare possit eccle-
,, siam? De Pontifice Romano loquitur. Iterum de Curia
Romana Reformanda ,, Quod tamen quàm difficile sit,
,, cursus temporum præsentium manifestat: cum nulla gens
,, aut natio fidelium tantam resistentiam facit reformationi
,, ullius ecclesiæ, sicut natio Italica, & alii eis applau-
,, dentes, spe promotionis aut lucri, aut temporalis com-
,, modi, aut timore amissionis dignitatum ligati. Contre-
,, miscunt enim solo auditu congregationis generalis con-
,, cilii, Et quid mirum, si universalis ecclesia congregata
,, argueret Papam, ac etiam puniret, si incorrigibilis esset?
,, cum etiam asina prophetam legitur arguisse, voce homi-
,, nis loquens, Antilog. Papæ pag. 476. 477. 482. 489. 495.

Serm: pag. 35. versu *Ult. elucidatur obscuritas V.* T. Huc adde quæ habet idem Onus Ecclesiæ pag. x1. versa. ,, Nam sa-
,, pientia ædificavit sibi Domum, & excidit columnas sep-
,, tem. Et septem sunt oculi Domini, qui discurrunt in
,, universam terram. Si quidem septenarii veteris testa-
,, menti coaptantur septenariis Apocalypsis, & septem
,, statibus Ecclesiæ innumera mysteria clarescent. Exemp.
,, gr: Jacob servivit pro Rachel septem annis, quem po-
,, stea suus socer Laban persecutus est septem diebus. Ha-
,, bebat quoque Madian sacerdos septem filias, quæ vene-
,, rant ad hauriendum aquam. Aaron imposuit septem lu-
,, cernas super candelabrum, uti præceperat Dominus.
,, Item Samsonis Cæsaries distincta fuit in septem crines.
Arca insuper Domini fuit in regione Philistinorum sep-
,, tem mensibus: ac septem annis in Hebron regnavit Da-
,, vid, qui fuit Isai filius. Et filii Isräel contra Syros sep-
,, tem diebus dirigebant acies, septima autem die commis-
,, sum est bellum. Similiter tres reges Isräel & Juda &
,, Edom contra Moab circumierunt per viam septem die-
,, rum, nec erat aqua exercitui & jumentis. Item Job nati
,, sunt septem filii, & fuit possessio ejus septem milla o-
,, vium.

„vium. Cujus amici ſederunt cum eo in terra ſeptem die-
„bus & ſeptem noctibus. Item ſeptem graduum erat aſ-
„cenſus domus, quam vidit Ezechiel. Et tempore Ma-
„chabæi mater cum filiis ſeptem fuit comprehenſa. non-
„nulla legiſſe, quæ idem.

Sermonis pag. 37. verſu 15. *Pariſienſis Academia.* Myſte-
„rium jam operatur iniquitatis. Gloſſ. Jam apparet An-
„tichriſti impietas, ſed myſtica: id eſt, pietatis nomine
„palliata, ut velint haberi miniſtri Chriſti, cum ipſi ſint
„pſeudochriſti. Sic ergo patet pro parte, quòd ante fina-
„lem Eccleſiam, & etiam ante multa tempora, pericula
„imminebunt Eccleſiæ univerſæ. Quia in ultima ætate ſe-
„culi ſumus. Poſt enim iſtam ſextam ætatem, quæ eſt
„pugnantium: cum qua currit ſeptima ætas, quæ eſt quieſ-
„centium: non eſt ventura ætas alia niſi octava, quæ eſt
„reſurgentium. Ergo nos ſumus in ultima ætate hujus
„mundi, & illa ætas non minus durabit quàm aliæ, quæ
„currunt per millenaria annorum: Antilog. Papæ p. 15.
„53. 54.

Serm: p. 38. verſu 9. *Joachimum Abbatem perperam accu-ſari.* Vide ſupra pag. 74.

Serm: p. 38. verſu 25. *Jacobus Gruitrodius*, Vide de eo in præcedentibus pag. 107.

Serm: p. 39. verſu 25. *Johannes Huſſus Vir inculpatæ vitæ, zelique inſignis* Hottingero Hiſt. Eccl. N. T. Sev. XIV. p. 907. Is hæc habet.

„Poſtquam beatus Johannes deſcripſiſſet impugnationem
„Eccleſiæ per inordinatam & apertam potentiam ſub no-
„mine equi ruffi. i. cœtu malorum Principum, qui rube-
„bant per ſitim mortificationis, & ſanctorum martyrum
„ſanguine ſe rubricaverant. Ille cœtus exiverat tempore
„Herodis in Jeruſalem, qui primum pro fide occidit in-
„fantes. Et inter gentes exivit tempore Neronis, & du-
„ravit uſque ad Conſtantinum: ubi equus niger incæpit
„manifeſte florere: ſub cujus nomine ſecundo deſcripſit
„hæ-

„hæreticorum bellum contra Ecclesiam. Nigredo enim „malitiam valde occultam significat. Nigredo enim color „est tenebrosus & obscurus: In signum, quod errores hæ-„reticorum tecti & profundi sunt, & non faciliter cognos-„cendi. Hæretici enim temerarii plura volentes scire quam „oportet, fidem prosternentes, rationi innitentes, divina „permissione Magistri erroris extiterunt, & plures secum „in errores traxerunt.

„Hic jam describit tertio bellum contra Ecclesiam hy-„pocritarum, sub nomine equi pallidi, qui, quamvis foris „ore, gestu & habitu sancti apparebunt, non minus tamen „desideriis carnis suæ aguntur, cum his qui palam carna-„lia exercere non verentur. Hypocritæ enim videntes „sanctos ex contemptu mundi & afflictione carnis diligi & „esse acceptos, similia opera induebant sine charitate, „quærentes inde propria. Horum sunt tres turmæ contra „electos Dei militantes: quorum prima est levior ad vin-„cendum: quam qui non vincit, in aliis duobus omnino „succumbet. Sicut qui adversarium nudum non vincet, „omnino armatum non superabit. Adversis enim impug-„nari, est nuda & aperta nequitia carnem aggredi. Sed dum „astute rationes hæreticorum adduntur, jam hostis arma-„tus est, & nedum carnem, sed & spiritum tuum aggres-„sus est. Hinc primis dictum est. Spiritus quidem promp-„tus est, caro autem infirma. Sed posterioribus sub nigro „equo vigentibus, potuit dici. Caro fortis est, & spiritus „infirmus, quia erroribus eorum spiritus erat à fide debi-„litatus, licet caro parata sit quæcunque adversa sufferre. „Sed ista turma hypocritarum tertia ad vincendum est gra-„vissima, quia qui nec per apertas tribulationes, nec per „apertas hæreses aliquando vincebantur, imo utrobique „proficiebant, tam constantia, quam scripturis exquisitis „contra tyrannidem potentium, & perfidiam hæreticorum, „superabantur per pugnam hypocritarum gravissimam: „qui sub habitu religionis obtinebant naturam ruffi equi & „nigri: & eo difficilius agnoscebantur, & superabantur, „quo lupi laterent sub ovili pelle. Et propterea in præce-„dentibus duobus equis, sessor equi homo describitur: sed „hujus equi sessor diabolus est.

Ex quibus patet, de ſeptem temporibus, ſummam rei quod attinet, eadem ſenſiſſe quæ reliqui.

Blaſius Viegas Jeſuita. Hic, licet de ſigillis ſecus ſentiat, in explicandis ſeptem tubiciniis, eodem quo nos tramite incedit, & ſeptem temporis articulos, ab initio Euangelii uſque ad diem judicii decurrentes, manifeſte agnoſcit. Præmiſſa hac præfatione: *non putamus à communi ſententia recedendum. Ea vero eſt, per hos ſeptem Angelos, ſive nuncios ſignificari diverſos concionatorum Catholicæ fidei in Eccleſia ordines, qui variis temporibus Evangelicæ prædicationis tubis toto orbe ſonuerunt. Ita interpretantur Haymo, Cæl. Pann. Richard. de S. Vict. Ambroſ. Ansbert. Zegerus & alii.*

Primus hic Angelus primum ordinem Concionatorum, hoc eſt, Apoſtolos ſignificat, Secundus Angelus ſecundum Concionatorum in ſecunda Eccleſiæ ætate ordinem demonſtrat: quo tempore Dæmon per Tyrannos ac Principes, potiſſimumque Imperii Auguſtos, ac Cæſares omnes ſibi machinas admovendas putavit. Tertius hic Angelus tertium Concionatorum ordinem in tertia Eccleſiæ ætate ſignificat: quorum prædicationi hæretici reſtiterunt........ Putamus hac ſtella quæ de cœlo cecidit, peculiari ratione vel Pelagium uti Lyra & Pet. Aureolus in commentariis hujus loci exiſtimarunt, vel certè Arium expreſſum fuiſſe, *In tuba iſtius quarti Angeli, juxta eam expoſitionem quam perſequimur, quartus prædicatorum fidei ordo in quarta Eccleſiæ ætate exprimitur & Quintus Angelus quintum prædicatorum ordinem demonſtrat, &c.* De Sexto *Exiſtimamus cum communi ſententia, quam ſequuntur Beda, Richardus de S. Victore, Andreas Cæſarienſis, Rupertus, Arethas, Haymo, Pannonius & alii hanc viſionem ad extrema mundi tempora eſſe referendam. Hac autem* (Septima nimirum) *poſtrema tuba feliciſſimum illud tempus denunciat, in quo Chriſtus, hoſtibus ſuis debellatis, glorioſe regnabit. pag.* 368.

Sequitur Jeſuita à Lapide *Dico ergo ſeptem ſigilla ſignificare ſeptem myſteria, æque ac tempora, arcana & ſecreta, à Deo ſtatuta, quibus res quæ his ſigillis continentur, ordine quæque ſuo, ſuoque ſæculo ſucceſſivè, ante & uſque ad Antichriſtum,*

finemque mundi manifestabuntur, & reipsa venient, ita ut uno desinente mox ordine suo succedat alterum.

Serm: pag. 39. versu 23. *Nec exiguitas numeri. &c.* Nescio sane quo colore obtendatur, cum passim ea sententia communis audiat. Certe Viegam id adseverantem audivimus Pag. præced. Ipse Foxus idem declarat ut p. 106. audivimus.

Serm: pag. 39. versu 30. *Paucis placuisse qui à Papismo alieni sunt*, temere dixisse V. D. palam fiet, ubi loquentes audiveritis quos numero haud spernendo producam.

Primum locum non unam ob rationem dabimus *Francisco Lamberto*. De quo sic agit V. D. ut in charitatis & æquitates leges graviter impingat: ut pote qui in re facti, non tam deceptos, quam deceptores esse suspicetur Viros Insignes, qui hujus scripti, ut revera extantis, mentionem non tantum fecere, verum & de Septem periodis doctrinam docuisse affirmant. Cum Liber ita rarus sit, & Virorum omnino Integerrimorum fides in dubium vocetur, non abs re erit si & Viro Docto & Lectori hac in re satisfecerim. En Libri inscriptionem: *Francisci Lamberti Avenionensis in Sanctam divi Johannis Apocalypsin Libri* VIII. 1528. *Basileæ.* 1539. iterato editum notat *in Bibliot. Classica Draudius.* De auctore optime sentiet quisquis vel primo obtutu viderit adlocutionem ad Philippum Landgravium, cui opus illud inscripsit. Gesnerus quidem in rationes auctoris non mittit, scriptum de quo heic loquimur, *Freherus* pariter non memorat. at aliis crebra ejus mentio est, Vide Königium. Olearium in Abaco & Bibliot. Lipenii. Hæc de ipso laudatus jam Freherus.

Avinionensis Gallus hic est, cui cum, renatâ primum in Germania Evangelii Doctrina, veritatis lux affulsisset, orthodoxæ religionis magis magisque propagandæ studio præcipue incensus, sese monasticâ vitâ, quam juvenis ut in otio cum dignitate versari posset, ingressus fuerat, abdicavit, & inter primos in Hassiâ Evangelii Doctores, & Marpurgenses Professores, cum Julii Calendis Academia hæc aperiretur, primo

Rectore Johanne Ferrario Montano, & addictis eidem Collegis Euricio Cordo, Hermano Buschio, Thoma Zegero, Gerhardo Noviomago, Johanne Lonicero, Augusto & Reinhardo Hadamario, publicè docendi munus suscepit.

At quoniam ex hoc auctore plurima proferre consultum duxi, nemini mirum videbitur, si paulo quoque prolixius edoceam, quis fuerit & quantus Vir, hic noster *Franciscus Lamberti.* Philippus Landgravius Hassiæ de abolendo Papatu & repurgandis ab illius fecibus ecclesiis serio cogitans, hujus Viri inprimis consilio usus est atque opera. Nec leves habemus hujus rei testes, Davidem Chytræum Saxon. Libr. XII. pag. 298. cui adde Virum Amplissimum, fortem illum & felicem Lutheri, adversus Maimburgii latratus, vindicem. Sic ille L. II. Sect. 8. §. XIV. Pag. 40. *Usus autem est Princeps*, de Philippo Landgravio loquitur, postquam *de Reformatione solenniter decrevisset, insigni opera Francisci Lamberti, Avenionensis Galli, qui Wittebergam anno 1523. mense Januario venerat. Meretur Lutheri elogium adscribi, quod illi viro in epistola ad Spalatinum Lib: II. p. 121. tribuit. Adest Johannes ille Serranus, vero nomine Franciscus Lampertus, imaginibus quoque nobilis, inter Minoritas viginti annos versatus, & generali verbi (forte legendum est: Generalis) officio functus, ob persecutionem exul, & pauper factus. De integritate viri nulla est dubitatio: testes sunt apud nos, qui illum & in Francia, & in Basilea audierunt, tum Basileensis suffraganeus ille Tripolitanus, cum Pellicano, dant illi pulchrum testimonium. Et quamquam nos abundemus Lectoribus optimis, tamen, si quid poterit, non abjiciemus: mihi per omnia placet vir, & satis spectatus mihi est, quantum homo spectari potest, ut dignus sit, quem in exilio paululum feramus & juvemus. Sed tu meam nosti facultatem, ut non sit opis meæ illum alere, qui ipse alienis vivo: videretur mihi Principi persuadendum, ut jam non perdat, sed in charitate Christo fœneret viginti aut triginta florenos, in eum collocandos, donec vel à suis tribulibus, vel proprio stipendio sese sustentet de labore suo. Extat & præfatio ejus in editam à Lamperto Minoritarum regulam.* Lib: II. Epist: p. 128. *b.* De eodem, *mense Augusto, ad eundem Spalatinum scribit, Tigurum abiturum esse, ut Galliæ proprior sit, & viaticum pro eo*

apud

apud Fridericum Electorem procurandum petit, scripserat tamen Lampertus Wirtenberga & Electori dedicaverat, teste Chytræo Lib: XII. *fol:* 346. *enarrationes in prophetas aliquos, in Canticum Salomonis, & historiam Lucæ; dein Landgravio* (ita pergit Chytræus) *ut vir pietate, ingenio & doctrina præstans, qui & contradicentes convincere, & os illis obturare posset, commendatus fuit. Is igitur themata composuit, quibus veræ doctrinæ summa, & repugnantium illi errorum & abusuum Pontificiorum castigationes comprehendebantur. Ea contra Pontificios, ex omnibus cænobiis & collegiis congregatos, defendit, præsente Principe, & per Cancellarium omnibus liberam disputandi potestatem faciente. Adamus Craftius, sive Crato Fuldensis, themata Germanice, iis, qui id vellent, interpretabatur. Inter adversarios præcipuus erat Nicolaus ille Ferberus, à patria Herborn dictus, cujus dicto loco Lib:* I. *mentionem feci, Guardianus Franciscanorum Marpurgensium, & quidam Joh: Sperberus: qui in disputatione confusi, (ex aliis enim nemo contradicebat) postmodum deserta Hassia, alio se receperunt. Theses Lamperti integras exhibet Scultetus in Ann:* 2526. *p.* 14. *& seqq.* Hactenus Seckendorfius.

Lubet ipsum Lutherum audire, sic ille in Præfatione præmissa Tractatui quem scripsit *In Regulam Minoritarum.* Hæc sunt verba Lutheri. *Id oneris subiit Franciscus Lambertus, ut qui probè eos intus & in cute noscens, mysteria pulchrè possit prodere, quæ magna sui pernicie & didicit apud eos, & nunc, miserante Christo, ceu extremum auriculæ ex ore lupi, ereptus est, ab istorum perditione. Lege igitur felix, ac vide Christum, non solum in Luthero, sed & in multis aliis suis viris, nasci & ulcisci sese, de purpurata illa & ebria meretrice, fornicationum matre, simulque nobiscum ora, ut quod cœpit in nobis, perficiat.* Amen. Wittembergæ. 1523. Video hujus nostri mentionem fieri in Hist. Eccles. Hottingeri Sec: XVI. Tom: II. p. 594. Voetius eum Reformatoribus merito accenset Desp. Causa Pap. pag. 69.

En igitur verba ipsius nostri *Lamberti. Tota Apocalypsis est una Epistola, non modo ad Asianos. Sed & ad omnes fideles missa, ut infra patebit, cujus salutatio hic incipit, & finitur ubi dicit, Ego Joannes frater vester, &c: quod est narrationis ini-*

initium, concluditur vero in fine, illis, Gratia Domini nostri. Pap. 52. *Antipas est figura omnium, qui pro Christo adversa perferunt, aut occiduntur.* Ἀντίπας *enim, contra omnes, interpretatur....... Secundo, quis numerus sigillorum? Diximus eodem loco, quod numerus ille septem sigillorum, præter id, quod fortis clausuræ est typus, indicat varia tempora, numero septem quæ totum tempus, à Christo passo usque in mundi finem complectuntur, & in quibus varia fuere mysteria, per Christum solis electis aperta.*

Aperuit igitur agnus, unum de septem sigillis, non dubium, quin primum: frequens nimirum est Judæis, ut unum pro primo capiant, qua loquendi ratione, hic Joannes usus est. Hæc hujus sigilli apertio, initium habuit à Christo passo, manifestius autem post penthecosten, quando effuso copiose in Apostolos & discipulos primos Dei spiritu, missi fuere in omnem terram, ut Dominum JESUM Christum, constanti prædicatione, & veloci cursu ad omnes populos gentesque portarent... Equus igitur albus, Apostoli & discipuli priores sunt, quos etiam spiritus Sanctus, equos vocat. Zach: 10. Sic equus albus, & gloriæ Dei fuit Paulus, qui nomen Christi portavit coram gentibus & tribubus, & filiis Israel.

Observa, quod quamvis hoc mysterium, sit imprimis de Apostolis & discipulis primis, eorumque diebus, semper tamen, usque in sæculi finem, fideles & constantes ac sinceri ministri verbi, sunt velut equi albi, portantes Christum Regem, id est, asserentes eum verum summumque regum, qui eorum corda habet in manu sua, & ex eis mittit sagittas verbi sui, hoc est facit cor eorum ardens, & intrepidum ad annunciandum verbum sanctum, & super eos sedens, exit semper vincens, ut vincat. Sancti quoque prophetæ, dum Christum docebant, equi albi & fortes erant, super quibus etiam, Christus exivit vincens, ut vinceret. Primum sigillum, Apostolorum diebus conveniebat, hoc de tempore, quod fuit mox post eos, intelligendum inprimis est .... Tum exivit equus rufus, qui typum tenet eorum, qui Sanctos Christi confessores passim occidebant, & toti madebant sanguine justorum. Equus albus retulit Apostolos, sed equus rufus, non potest esse hoc loco martyrum typus. Nam oportet, ut intelligatur de eo, super quem sedit ille, cui

datum est, ut pacem tollat è terra..... Pag. 122. Posteaquam finem habuit tyrannorum sævissimâ persecutio sectæ & hæreses plurimæ exortæ sunt, quæ sic increverunt, ut orbem fere totum confunderent, ut palam est, hystorias perspicienti. Surrexit enim. Arrianorum perfidia, de Filio & Spiritu Sancto, impie nimium sentiens. Demum Nestoriani, duas personas, sicut duas naturas in Christo esse definientes. Eutichiani diversum asserentes, nempe quod in Christo sit una tantum natura, voluntas & operatio. Item Pelagiani abnegantes Gratiam Christi, & viribus hominis tribuentes, quod solius ipsius gratiæ est. Et quis enumeraret hæreses, tum à Satana excitatas..... Igitur hi quos excitavit Satanas, ad ejusmodi hæreses asserendas, sunt equus niger.

Contritis (*saltem quod ad publicam assertionem pertinet*) *Arrianorum*, *Pelagianorum*, Macedonianorum, Eutichianorum, *atque aliorum id genus hæreticorum insaniis, videbatur pax esse, & nonnihil lucis, sed profecto parva admodum lux fuit, & ideo mox fermè tam abscondita, ut videretur extincta. In causa autem fuit, improborum Pseudo-prophetarum studium, qui (ut etiam nunc videmus) perpetuo nitebantur, statera dolosa appendere, triticum, & hordeum Dei, & lædere vinum & oleum ejus. Increverunt enim sensim perditionis sectæ, & velut arena maris, populus multus adhæsit illis. Imprimis autem Mahumetus ille cum suis, leges exsecrabiles sub Dei nomine (cujus se jactabat nuncium) constituens, & post se traxit populos admodum multos. Surrexit & tum abominatio illa Papatus, in Europa, Aliæ quoque Antichristorum factiones multæ, in variis orbis partibus surrexere, quas enumerare non sufficimus. Ad id proderit tibi trivisse annales, seu Chronicas. Antichristos vocamus, omnes, qui sub pietatis nomine, Christo & pietati adversantur. E quibus primi & summi, magni Antichristi sunt, quamvis non nisi in mysterio inimi, magni Antichristi sunt, quamvis non nisi in mysterio inimquitatum perditi illius summi, de quo infra multis locis agemus. Et certè magnus in mysterio Antichristus est Mahumetus. Alius Papa.*

Equus Pallidus, *hypocritæ scilicet, quorum idoneus est typus equi pallor. Qui enim seipsos plurimum jejuniis macerant, pallent. Ideo hypocritæ, qui id videri volunt, per pallidum* equum

equum recte figurantur. Pallor quoque ipse designat, qui vera vita & salute privantur. Hujus autem Pallidi equi, id est, Synagogæ universorum hypocritarum & Antichristorum, sessor est, Mors: Ergo Antichristi & hypocritæ mortem & perditionem ferunt. O quam dignus est is equus, tali sessore.

Porro hunc equum sequitur infernus, id est, perditio sempiterna. Magnum & expavescendum judicium hypocriseos, & Antichristianæ perfidiæ. De aliis non tam gravia & tam aperte loquitur.

Fames defectus est sermonum vitæ, & sine quibus est mors. Mysterium hujus sigilli in hunc diem permanet, sicut his notum est, quibus agnus sigillum ipsum aperuit. Adhuc enim sævit hic equus pallidus. Pap. 130. *Magnus ergo Europæ Antichristus, Rex facierum & Princeps hypocriseos, caput equi Pallidi, est Papa; id est, non persona hæc aut illa, sed fastigium illud execrabile, in quo multi sicut à Deo præfinitum est, succedunt, donec completa sit damnatio ejus. Nemo autem sub cælo majori suæ saluti, pernicie vivit aut vivere potest, quam is, qui ea sedet in abominatione. Quum quidem ex ipso simul atque prædecessoribus & successoribus suis, constituitur una persona unius maledicti Regis Antichristi, non quidem illius universalis, de quo infra Cap:* 11. *&* 13. *Sed specialis aut ut satius loquar, unum equi illius Pallidi caput, cujus corpus sunt universi, qui paris sunt sensus, quos hujus capitis parte* 4. *equo ipso pallido figurari diximus. Caput ergo istud cum corpore suo, decretis novis ac traditionibus impiis, item multiplicatione sectarum perditionis, ut sunt sectæ monasticæ, de quibus proprio libro egimus, aliisque infinitis modis pugnavit in dominum JESUM Christum, atque eo usque pervenit impietas, ut vix scintilla veritatis aut fidei superesset. Et cum ita haberet res, putabat cæcus orbis se in luce esse, cum non aliud quam densissimæ tenebræ essent. Nostro quoque sæculo id fuit, & ego ipse peccator, qui hæc scripsi, in abyssum ferme tenebrarum deveneram, Sed misertus mei agnus mitissimus, segregavit me à Synagogâ tenebrarum, & aperto libro, sigillum quoque hoc mihi aliorum servorum, suorum ministerio aperuit....... Misit enim Dominus verbum suum, & agnus aperto libro suo, hujus sexti sigilli mysteria summa aperuit.....* Pap: 141.... *Ego semel*

dicam quod futurum confido & ordo visionis exigit, nempe insignem & publicam illam Israëlis conversionem, quam Paulus Rom: 11. dicit mundo futuram, quasi vitam ex mortuis, quam etiam eo loco illorum assumtionem & plenitudinem vocat, quemadmodum & id qui excæcati sunt, illorum lapsum, diminutionem, & abjectionem, priusquam illi quatuor angeli, terræ, mari & arboribus, sicut illis datum est, nocere possint futuram, de qua plene. Amos, 9. & nonnullis aliis locis egimus. Eam inquam confido sub hoc sexti sigilli tempus futuram præsertim post magni Antichristi exterminium. Exitus id probabit. Præterea ad id compellunt, quæ in sexta tuba, & in sextæ phialæ effusione, infra habentur. Apertio nimirum sexti sigilli correspondet clangori sextæ tubæ, & effusioni phialæ sextæ, ut patebit.
Pag: 142. Paulus Rom: 11. dicit Israëlem assumendum, & illius futuram plenitudinem, per eum, qui denuo potest illos inserere unde exerti erant. Inserendi ergo & assumendi sunt. Tempus Deus novit. Nam quis novit quot anni sub hoc sigillo supputentur. Sed nunquid abjicientur gentes, ut recipiatur Israël, sicut ille abscissus est, ut gentes insererentur? Electi ex gentibus abjici nequeunt, quemadmodum neque electi ex Israel abjecti fuere. Verum sicut carnalis illa multitudo Synagogæ judæorum abjecta fuit, & id quidem palam, ita absque ullo dubio, carnalis illa Ecclesia quæ multis seculis pro Dei populo habita est, abjicietur, cujus abjectionis principium non modicum jam videmus, quæ infra per Babilonis casum & exterminium abunde figuratur, cap. 17. & 18. Ea igitur rejecta, & posteaquam notum faciet Deus, quod nihil minus sit, quam populus suus, assumetur & denuo inseretur Israël, ac revertetur ad Dominum suum, & David, id est, Christum regem suum Oseæ. 3. Tum signabitur fide in verbum veritatis. Et qui prius omni malignitate persequebatur Christum & suos, conversus ad Christum, asserit illum constantissimè, & agnoscit eum esse, quem Deus patribus per Prophetas, ante promiserat. Suscipiet quoque verbum purissimum, & pro illius confessione, non refugiet quæcunque perpeti mala. Et quemadmodum Carnalis Ecclesia persequitur conversos ad verbi Dei puritatem, tam ex se, quam ex Israële. Denique observa hanc verbi Dei revelationem, quæ aperto sexto sigillo, nostro videlicet sæculo facta est, esse ultimam, quod ad solennes spectat. Necesse est autem, ut verbum Dei omnia vincat, & omnes qui per Babilonem capiuntur, conterat,

terat, ac Iſraëlem convertat. Papa enim & ſui. Item Mahumetus cum ſuis omnibus. Iſrael quoque. Similiter univerſarum gentium Antichriſti, bellum ſumpſerunt, adverſus agnum, ſed agnus vincet illos. Vides etiam quam glorioſe de Papa & ſuis triumphare incipiat. Triumphabit indubie etiam de Judæis. Vincentur enim tandem, & ut puto ad id potiſſimum Deus miſit deſiderium & ſtudium Hebrææ linguæ. Fructus quoque jam in nonnullis radices fixit. Summa, & Iſrael totus, & Papæ factio & Mahumeti abominatio, & univerſæ Antichriſtorum ſectæ, quæ pugnam in Chriſtum ſuſceperint & ſuſcipient, vincentur. Palam nimirum fiet univerſis electis, qui inter eos ſunt, quod omnia illorum figmenta fuerunt à Satana, ſintque mortifera, & pernitioſa. Tamen ex qualibet tribu Iſrael, ſignabuntur duodecim millia, id eſt, multi admodum, eo numero deſignati.

Pag. 148. 2....... *O quam verè beatus erit, qui videbit hujus ſigilli apertionem, videbitur hoc ſacratiſſimum ſilentium, in cælo, non dubium quin Eccleſia Dei, quam figurari, non raro diximus. Porro hoc ſilentium pax Chriſti eſt, de qua diximus Cap.* x. *juncta externæ paci. Aperto nim: hoc ſigillo, mox damnabitur miſera Babylon, & beſtia illa coccinea ignominiæ nominibus plena, Antichriſtus ſcilicet magnus cum ſuis omnibus, ut habes infra. cap:* 16. *poſt effuſionem phialæ ſeptimæ, item cap.* 17. & 18. *Draco quoque ligabitur annis mille cap.* 20. *id eſt aliquo tempore per mille annos figurato, in quo erit etiam externa pax, & veritas amabitur, ac libere ſeipſos regent. Ego ex ordine & concordia viſionum, puto idem omnino hic per ſilentium mediæ horæ quod per mille annorum pacem, cap.* 20. *intelligi. Aliud de hoc tempore definire non poſſumus. Deus novit tempora ſua. Sive breve fuerit; ſive longum, non ineptè figuratur mediâ horâ.*

Pag. 150......... *Jam cum tuba ſit veritatis annunciatio, quid aliud intelligimus per Angelos, quibus datæ ſunt, quam eos, quibus ipſius verbi miniſterium committitur. Septem autem viſi ſunt quibus omnes diverſorum temporum miniſtri capiuntur, ſic ut primus ſit typus, omnium qui ſub apertionem primi ſigilii, verbum docuerunt, nempe Apoſtolorum & aliorum diſcipulorum Chriſti. Quia enim ſigillorum apertio eſt re-*

velatio mysteriorum, quod secundum præfinitionem Dei, medio fit ministrorum verbi Dei, idcirco singulæ tubæ, singulis apertionibus sigillorum conveniunt, ut patebit, & singuli Angeli sunt simulachra omnium ministrorum verbi, quorum ministerio, singulorum aperta sunt mysteria sigillorum.

Pag. 252........ *abiit primus angelus, & effudit Phialam suam, hoc est, tum decreto & judicio Dei terribili, vasa iræ in terram missa sunt, & super eam dispersa. Hoc fuit tempore prioris sigilli, quo phiala excæcatissimæ Judæorum Synagogæ, super terram effusa est, quæ iræ dei plena est, ab eo scilicet rejecta, ne ad ejus populum spectet. Hæc autem Phiala, in synagogæ principibus, scribis, & Pharisæis sita est. Et factum est vulnus malum & noxium, in homines &c. Hi sunt quos impii Judæorum Rabbini seduxere, sive ex Israele, sive ex gentibus, in quibus fuit bestiæ character, id est, spiritus Antichristi. Vide supra cap. 6. pag: 1. & cap. 8. sub primam tubam. Phiala hæc sunt impii principes, & seductores, qui Dei expavescendo judicio in mare populorum gentium fuere missi, & effusi. Vide supra cap. 6. par: 2. Nam idem hic per mare sanguinem, quod illic per equum ruffum designatur, vide etiam de mari cap. 8. par: 4.*

Pag. 253...... *Hæc phiala hæreticorum Principum est figura, quos supra cap. 8. par. 5. per stellam, cui nomen absinthium, spiritus domini intellexit. Hi per angelum hoc est decretum altissimi, effusi sunt in flumina, id est, scripturas ejus, datum scilicet illis, ut suo reprobo sensu illas inficerent: Tum illarum aquæ factæ sunt velut sanguis, id est, carnales, quia non enarrabantur alioqui, quam per diabolicam sapientiam, quæ in scripturis non raro sanguine figuratur.*

Pag. 254. *Hæc phiala typus est. Principum factiosorum Antichristianorum & Prophetarum eorundem, ut sunt Mahumeti & Papæ abominationes ac sectæ, quæ maxime sub quartum tempus roborari cæperunt, à quibus supra cap. 8. par. 6. sub quartam tubam, tertiæ partes solis, lunæ & stellarum, percussæ dicuntur. Hi secundum æternam Dei prædefinitionem sub dictum tempus effusi sunt in solem, non dubium, quin Christum, Qui Malach: 4. sol justitiæ appellatur. In solem, id est, contra*

contra ſolem quia Antichriſti ſunt. Quis enim Antichriſtus præter eum, qui agit adverſus Chriſtum, & illum aut veritatem ejus negat? Permiſſum nimirum eſt illis, ut blaſphemarent Chriſtum, & illum crudelem facerent nobis; percutientes magnam illius partem, ut Diximus cap. 8.

Pag. 255...... *Phiala hæc quinta. Sedes enim ut alias docuimus, Regni eſt typus. Ergo quinto tempore fuit Antichriſti regnum, quod quarto tempore cœpit, præſertim in Papatus, & Mahumeti abominationibus. Et factum eſt regnum beſtiæ tenebroſum, hoc eſt, ſine veritatis luce, & id quidem maximè ob fumum putei, de quo dicto 9. cap. actum eſt. Et manducaverunt linguas ſuas præ dolore. Is ſermo, doloris graviſſimi eſt figura. De hoc Dolore actum eſt cap. 9. ſub typo cruciatus ſcorpii & quinque menſium. Et convitiis affecerunt Deum cœli, præ doloribus, & ulceribus ipſis.*

Pag. 256. *Hæc phiala eoſdem omnino deſignat, quos Angeli & equi illi terribiles, de quibus actum eſt ſupra cap. 9. par. 7. 8. & 9. qui terrendo excelſi judicio, ſub ſextum tempus effuſi ſunt in fluvium illum Euphratem id eſt, abundantiam & fæcunditatem. De hoc fluvio egimus dicto cap. 9. par. 7. illos effundere in fluvium illum, eſt illos tradere in cupiditate cordium ſuorum, ut deliciis & abundantiæ hujus ſæculi toties ſeſe dedant, quod eſt illos in Euphrate alligare, prout & in eo fuiſſe alligati dicto cap. 9. dicuntur.*

„Pag. 259...... Adveniente ſeptimo tempore electi plurimi, qui prius ſub magno Antichriſto vaſa iræ fuerunt, „poſt illius exterminium converſi ad dominum, ab eo „quod prius fuerint, nempe divinæ iracundiæ phialæ vo„cabuntur, prout in Euangelio Symon ille curatus à lepra, „cognomen leproſi retinuit. Hi Dei potenti judicio mit„tentur in aërem, id eſt, contra aërias poteſtates, dæmo„nis ſcilicet, quià Domino volucres cæli, id eſt, äeris „appellantur. Cælo enim aër non raro in ſcripturus acci„pitur. Cæterum eorum in aeris principes miſſio, ſeu effu„ſio eſt illos efficaciſſime Dei Spiritum illuſtrare & pro„vocare, ut ſurgant in eos, & univerſa illorum dogmata, „& abominationes. Hæc dum fient audietur, & exibit è

„cæleſti

„ cælisti Dei throno, id est, regno, quod est Ecclesia „ vox magna, uon dubium quin multorum gaudentium, „ ac dicentium. Factum est, hoc est. Jam finis mundi & „ ultimum tempus advenit, postquam tanta gloriâ regnat „ Christus. Hoc est silentium illud, de quo supra cap. 7. „ par. 7. Et tum implebitur quod habes supra cap. 17. part. „ 5. Facta sunt regna &c.

„ Pag. 293. 294. Aritifex ille summus omnem habens „ virtutem, à quo in quem & per quem omnia diebus sex „ mundum condidit, die vero septimo quievit ab omni „ opere, quod patrarat, & sanctificavit illum Gen: 2....... „ Proinde & Israelitis postmodum jussit, ut sex diebus ope- „ rarentur, septimum vero sabbathum illis esse voluit. „ Exod: 20. Non fuit autem Deo tam multa diei septimi „ cura, ut illum sanctificaret, sed ob verum sabbathum, „ quod illo figuratur, hoc fecit, nam quemadmodum „ Paulus de templo dixit fidelibus, quod sanctum quidem „ esset, sed quod ipsi templum illud erant, ita de sabbato „ illo externo sentiendum, quod benedictum sanctumve sit, „ sed vera electorum pax, & divina quiete beatum, ejus „ vero sanctificatio est illius ad divinos usus segregatio.

„ Pag. 297. 2...... Ecce nova facio omnia. Hoc fieri in „ Ecclesia, nemo ignorat, nisi qui nescit quid ipsa Ecclesia „ sit. De qua re sæpius etiam hoc libro egimus. Hæc de „ mystico electorum sabbato declaravimus, jam superest, „ ut eadem de glorioso illo, quod erit in futuro sæculo, „ enarremus.

„ Pag. 306. in Ezech. vero figuratur Ecclesia, quæ post „ Christum passum fuit in hoc mundo, ea præsertim, quæ „ sub sexti temporis, quo sumus, finem erit, Israele ad „ Christum converso & Antichristo dejecto.

Non jam de sententia *Francisci Lamberti* dubitare poterit V. D. aut ex Foxo quicquam proferre quo dubium reddere lectorem queat. Non legerit apud Foxum, sufficiet credo apud ipsum Lambertum legisse. Nec quemquam movebit, id quod objicit V. D. quod dixerit Lambertus,

myste-

mysterium quarti Symboli durare in hunc diem. Verba ipso ex fonte antea apposuimus: extant Fol. 126. verso. Denuo repetam: *Mysterium hujus sigilli in hunc diem permanet, sicut his notum est, quibus agnus sigillum ipsum aperuit. Adhuc enim sævit hic equus pallidus.* Precor autem Virum Doctum ut Cogitet, Franciscum ea scripsisse circa initia Reformationis; præterea si quis vel hoc ipso tempore id diceret, nihil sibi adversum aut nobis dicturum. Quis enim est, qui ignoret, ita instituere Periodorum quos Patronos vocat, ut dicant, non prioris sigilli res significatas, sequenti aperto, ea ratione prorsus desinere, ut illius tempore nihil amplius reperiatur rei, quæ potissimum fuit præcedentis argumenitum. Quin & primi effectus nondum desiit ex nostri Lamberti sententia vide p. 117.

Singulatim de Babilone mystica novimus, gradatim esse deprimendam, usque dum, lapidis molaris instar, in Abyssum projiciatur. Hinc post primum, postque secundum illius casum dici potest, adhuc esse, quin & *sævire* eadem Babilon: sed jam catechumenis hæc nota sunt.

At quoniam placuit Viro Docto de hujus nostri Lamberti sententia judicare ex allegatione aut potius non allegatione *Foxi*, haud inutile erit denuo pauca excerpere, ex quibus de mente Summi Viri judicium ferre lector poterit. De septem sigillis Fol. 104. verso *designant fortem fore clausuram & NB. varia tempora, in quibus Dominus Jesus Christus aliquid ex libro aperuit, revelans veritates ejus, juxta tempora & articulos temporum, sicut beneplacitum fuit in oculis ejus,* Fol. 11. *Diximus quod numerus ille septem sigillorum, præter id quod fortis clausuræ est typus, indicat varia tempora NB. numero septem, quæ totum tempus, à Christo passo, usque in mundi finem complectuntur,* eodem Fol. verso *Aperuit igitur agnus unum de septem sigillis. hæc hujus signi apertio initium habuit à Christo passo, manifestius autem post pentecosten &c.* Verum quorsum repono Lamberti verba, de quorum candida citatione forte dubitavit V. D. ut pote qui, quam ultra modum, suspiciosus sit, palam facit specimine satis insigni, quando optimorum virorum, fidem in dubium vocare non veretur: *justo,* inquit, *audacius nomina hæc in rem præsentem laudari. Francisci utique Lam-*

Lamberti, *multa apud Foxum citata reperio*, *sed nihil lego quod huc spectet*, *præter &c.* quid audio? *nihil*? Sed addit V.D. *Præter sigillorum & equorum quatuor interpretationem*, *de prædicatione Euangelii*, *tyrannorum sævitia*, *Pseudo-prophetarum & impostorum seductione*, *Muhammedanismi & Papismi seductione*, *horumque post se invicem temporis ordine sequela quâdam.* Certe dicere non debuerat *nihil*, *præter*, Sed rem omnem huc spectare. Illa sequela temporis, qualicunque ratione à te attenuetur, talis est, ut *nemo* forte *præter* te sit, qui non videat, vel ex iis, quæ ex Foxo refers, summam rei quod attinet, *Lambertum* prorsus idem docuisse, quod hodie docent quos appellare volupe fuit, Periodorum patronos. Clarè id apud ipsum Foxum deprehendere potuisti, eo ipso in loco quem contracte tuis, non *Foxi*, minus Lamberti verbis exposuisti. Certè ea, quæ, de quatuor prioribus Sigillis apud Foxum legisti, non potuere sensum Lamberti de reliquis tibi linquere dubium. Ut præter ea, quæ ex Lamberto à me producta sunt, apud ipsum illum Foxum tuum reperire potueris, quæ & de reliquis te Lamberti mentem edocere idonea erant. Pag. enim 70. referens illius de *semihorio* silentii mentem, hæc habet. *Nec multum ab eo*, Alfonsum Conradum Mantuanum indigitat, *recedit Franciscus Lambertus*, *qui interpretatur silentium hoc*, *pacem esse Christi*, *junctam cum externa pace*, *devicto jam Antichristo &c.* Quis illarum rerum gnarus heic non videt, ipsum prosequi filum propheticum ad finem usque, ordine quidem qui periodorum patronis receptus est. Suppetunt plura. At parcam excerpendi labore, cum ipsius Viri Docti judicio libenter permittam hanc controversiam.

Id unum adhuc addo: nimirum quod, in Dedicatoria Epistola ad Philippum Hassiæ Landgravium, de suis in Apocalypsin repetitis lucubrationibus testatur hic noster *Lamberti*; se Apocalypsin pertractasse *aliquoties in Gallia*, *in Germania autem bis*, *semel Argentorati*, *& semel post nonnullos alios Scripturæ locos*, *apud inclytam Academiam Marpurgensem.* Adeo ut opus sit bene elaboratum.

Serm: p. 40. versu 4. *Saskerides*: non tam in lucem *protractus*

tractus dici meretur, quam, ut satisficeret multorum desiderio in lucem datus, à Viro de Ecclesia indies optimè merente, Salomone van Til.

Serm: p. 40. versu quarto. *Carolus Gallus*, illi non immerito jungitur. Hic autem cogitata sua in Apocalypsin Studiosæ juventuti in Academia quæ Lugduni est in Batavis publicè explicavit. Viguit nimirum Scripturæ studium, ad infaustum illud usque tempus, quo Arminii erroribus obviam iri cœptum est, quod proh dolor! eo factum est fervore, ut, præter rixas atque altercationes tum in cathedris infausto istoc tempore, tum in suggestibus vix quicquam audiretur. Ita turpiter neglecto Scripturarum scrutinio, ut maximam tandem Sacrorum codicum partem inutilem dicere ausi fuerint traditionarii. O Ecclesiæ Reformatæ labem! o facinus! Qualia errorum monstra, æquo quisquis tolerat animo, næ is mihi magnopere displicet, ubi minimam in Scripturæ filiis tolerare hallucinationem non potest. Acrem sanè censuram non meretur Venerandus Viri Docti decessor, quod, ætatum rationem aliquo modo volens exprimere, verbis utatur in Sybillinis foliis forte reperiundis. Vereor ne Daniel effugiat Aristarchi crisin, qui Monarchias ordine sequentes, cum auro, argento, ære, ferro coque tandem cum luto mixto: Christique regnum, cum lapide comparat. Vel an Saturnia poetarum tempora admittere dicet eum, qui auream argenteam atque æneam ætatem non Latinæ linguæ tantum, verum & Ecclesiæ Romanæ adscripserit? Nugæ.

Porro Caroli Galli brevitatem accusat, V. D. alius ipsius nimiam prolixitatem, uter majori jure, penes Lectorem judicium sit. *Levitatem* autem an non temere exprobet, dicat æquus rerum arbiter, postquam cum Isagoge contulerit paginam. 20. ubi initium Imperii Constantini Magni refert ad annum 310. *Sunt autem ab initio Diocletiani, usque ad annum imperii Constantini Magni, id est, ad annum Domini* 310. *anni* 20. Et paulo post, principium Imperii Constantini Magni *collocatur in annum Christi* 310. Ut merito scisciter, quænam levitas sit, aut potius pejus quid, cum Gallus, non à *Constantini* solum Imperio, verum

&

& ab Episcopatu *Sylvestri*, ante annum 317. ei non delato, initium repetat secundæ ætatis, quod non in typographum potius, quam in Doctissimum decessorem animadvertat ita rigidè? Plura certè sunt quibus evincam, non leviter egisse *Carolum Gallum*, sed Typothetæ errore annum 281, positum esse pro 318. qui, post devictum Licinium, primus fuit, à quo *tranquilla*, sunt verba *Joh. Horatii Scoglii*, numerari incipiunt, sub *Constantino Ecclesiæ tempora*. Lubet heic addere verba quædam Galli, quæ extant in Clavis Phrophetica Dedicatione, alloquitur Sereniss. Mauritium Auriacum & Hollandiæ Ordines,

„ En Christo auspice, & gravi præcipuorum ministrorum „ Ecclesiarum nostrarum Belgicarum judicio, ac sententia, „ professorumque Theologorum Academiæ nostræ Lugdu- „ nensis examine, doctissimorum insuper amicorum hor- „ tatu, nec non singulari studio benè merendi de Ecclesia „ evulgamus Clavem Propheticam novam in Apocalypsin „ Joannis Apostoli, ac Euangelistæ, & cælestem in recon- „ ditis sacris mysteriis lucem nobis, Domino Jesu propi- „ tio, post plures religiosæ inquisitionis annos à Deo reve- „ latam Vobis, & Ecclesiæ Christi fideliter communica- „ mus: opus, in quo jam inde à viginti quinque annis su- „ davimus, legendo, meditando, indagando, scribendo, „ disserendo, & in Ecclesiis ac Scholis publicè docendo, „ quærentes, & nihil intermittentes, quod videbatur con- „ ducere ad inveniendum divinum hunc thesaurum: cujus „ optimam mihi spem fecerat sanctus Propheta Daniel, „ cui dictum est: Tu autem Daniel, claude verba, & ob- „ signa librum, usque ad tempus finis: discurrent multi, & „ multiplicabitur scientia. Non intelligent omnes impii; „ sed intelligentes intelligent. Convenit & cæleste oracu- „ lum Joanni Apostoli datum: Dominus Deus sanctorum „ Prophetarum misit Angelum suum, ut indicet servis suis „ quæ oporteat fieri cito: Deinde dixit mihi, Ne obsignes „ verba Prophetiæ libri hujus: tempus enim propè est.

Non leget hæc æquus Lector, quin stomachum sibi moveri sentiat, ubi tot annorum ita serios & pios labores, tam severe atro carbone notatos viderit.

Tan-

Tantam tamque circumspectam diligentiam si adhibuisset Censor, passus certe non fuisset sibi elabi quæ in calce istius paragraphi reperiuntur. Quando ait, *tandem ille continuus progressus in pejus, quem per nomina à metallis petita innuit, cum lætiori Reformationis tempore neutiquam convenit.* Auctoris verba quisquis perpenderit, næ is Censorem ob omni sequiore affectu haud dicet liberum. Sic sonant: *Hoc postremum seculum incipit esse igneum, priora suo ardore devorans, omniaque innovans.* Et si forte minus conveniens putet Sextam ætatem ligneam dici, is ipsum Gallum loquentem audiat, & videbit ætatem Sextam ipsi à Rodolpho Imperatore fluere usque ad Carolum Quintum: à quo deinceps Septimam incipiendam autumat. Certè lignea fuit illa ætas, tum quod minus gravis Ecclesiæ, tum quod ea quæ tum fiebant, instar ligni comburenda putavit sequente ætate: qua in re quid absurdi sit velim V. D. me doceat. Ut & egö videre possim id quod causatur. At cum libellus paucorum manibus teratur, operæ pretium erit nonnulla excerpere. Hæc habet in Isagoge opusculo præmissa, *religiose se imitaturum* dicit *vestigia Spiritus Sancti* ,, distribuentis totum illud temporis intervallum, quod ab exordio hujus ,, Apocalypseos, ad finem usque mundi fluit, (hoc est, ,, quod ab eo die Dominico, quo hæc arcana, & cælestia ,, mysteria beato Joanni revelata sunt, usque ad diem novissimum extenditur) in septem distincta secula, sive ,, ætates, quæ non una solum imagine, sed quatuor diversis, & elegantissimis picturis nobis proponuntur.

,, Primùm septem candelabris, vel epistolis, ad septem ,, Antistites Ecclesiarum Asiæ datis: Deinde septem sigillis, quæ ab Agno aperiuntur: Tertiò septem Tubis ,, clangentibus: Quartò, ac postremò septem phialis aureis. ,, His quatuor picturis, ceu in tabula vivis coloribus expressa est imago providentiæ divinæ, de rebus omnibus ,, secundis, & adversis, Ecclesiæ Christi, per septem ætates, id est, per omnia secula ad finem usq. mundi eventuris.

,, Et notandum, hæc septem secula distinguenda esse, ,, secundum præcipuas, & omnium memorabilissimas re-

„rum mutationes, ac fatales periodos, quæ ſunt eviden-
„tes, certæ, atque infallibiles notæ, quibus iſtæ ſeptem
„ætates dignoſcuntur: quemadmodum ex conſequenti ſerie
„perſpicuè patebit: quæ etiam docebit primam ætatem eſſe
„planè auream, ſecundam argenteam, tertiam æneam,
„quartam ferream, quintam lapideam, ſextam ligneam,
„ſeptimam verò igneam priores planè conſumentem.

DE SEPTEM ÆTATIBUS.

„PRIMA ÆTAS complectitur totum illud temporis
„ſpacium, & integrum, incorruptúmque Eccleſiæ ſtatum,
„ab Apoſtolis uſque ad Conſtantinum Magnum Imp. &
„Sylveſtrum primum PP. hoc eſt, ad annum Domini 281.
„(lege 317.)continuatum.Hîc conſtituimus primæ ætatis pe-
„riodum,propter inſignem,adeóque fatalem (quæ imperan-
„te Conſtantino Magno, primo Chriſtiano Imperatore ac-
„cidit) Eccleſiæ, totiuſque Imperii mutationem. Fuit
„enim hoc ſeculum uſque ad Conſtantinum M. planè Apo-
„ſtolicum, ac Sanctis Martyribus conſecratum, ideoque
„cum auro puriſſimo, nobiliſſimoque meritò comparan-
„dum. Cæterùm quanta mox ſequuta ſit mutatio, quan-
„do Conſtantinus Imp. tyrannos oppreſſit, Eccleſiæ Chri-
„ſtianæ pacem, & requiem comparavit, & ejus miniſtris
„divitias, dignitates, & honores acquiſivit, atque per ce-
„leberrimam Synodum Nicenam Arianos hæreſiarchas
„repreſſit, &c. hoc ex hiſtoriis patet & evidenter oſten-
„dit tunc auream Eccleſiam in argenteam infeliciter de-
„generaſſe; quod ſuo loco, in explicatione ſcilicet Com-
„plementi plenius declarabitur.

„ALTERA ÆTAS à Conſtantino Mag. Imp. & Syl-
„veſtro primo PP. uſque ad impium Phocam Imp. & Bo-
„nifacium 3. PP. Antichriſtum primum Latinum, ad an-
„num ſcilicet Chriſti 600. producitur. Hoc quidem ſecu-
„lo argentea fuit Eccleſiæ facies, hoc eſt, mediocriter
„adhuc ſana, ac tolerabilis ad imperium uſque Phocæ.
„At imperante eo, mox ceu ex infernali abyſſo produ-
„xit Satanas duos magnos illos Antichriſtos Orientalem,
„& Occidentalem, Mahumetem in Oriente, & Bonifa-
„cium

„cium 3. P P. in Occidente, qui in Episcopum universa-
„lem, hoc est, in Antichristum Romanum, & Latinum
„à nequissimo Phoca Imp. confirmatur: ex quo Ecclesia
„tunc temporis omnem præstantiam, & nobilitatem au-
„ream, argenteamque amisit, & in merum æs, & cu-
„prum degeneravit: propter quam mutationem hîc quo-
„que secundæ ætatis justum terminum statuimus.

„TERTIA ÆTAS progreditur à Phoca Imp. usque ad
„Carolum Magnum Imp. & Hadrianum primum PP. hoc
„est, ad annum Domini 815. quo tempore Imperium
„Rom. translatum est ad Gallos, & Germanos, ac Bestiæ
„Romanæ lethale vulnus curatum est. Habes ergò & hoc
„loco, propter insignem hanc mutationem, certam ætatis
„periodum. Et tunc Imperium barbaræ nationis, id est,
„Imperatorum Gallorum, & Germanorum protulit secu-
„la planè ferrea, & Carolus Magnus ferro grassatus est,
„ad cogendos Saxones, aliasque gentes ad suscipiendam
„religionem Pontificiam.

„QUARTA ÆTAS à Carolo Magno usque ad Conra-
„dum primum Imp. Franciæ Orientalis, & Lotharingiæ
„Ducem, hoc est, ab Anno Christi 815. usque ad annum
„913. Hic Conradus imperavit post Ludovicum 4. ex
„stirpe Caroli Magni ultimum, & absque coronatione
„Rex, & Imperator fuit Germaniæ annis septem. Et ab
„hoc Conrado Imp. transiit Imperium ad Saxones: Hen-
„ricum Aucupem scilicet, & Otthones, & reliquos ex
„stirpe Wedekindi Saxonis ortos, qui septem Electores
„Imperii constituerunt Principes, eisque jus electionis at-
„tribuerunt, Papæ autem confirmationis, ita etiam, ut
„nisi electio à Pontifice approbaretur, irrita foret. Quod
„potissimum per Carolum 4. Bullæ aureæ auctorem Pon-
„tifex tandem perfecit. Quamvis vero nec quibus aucto-
„ribus Senatus septem Electorum institutus sit, nec quan-
„do esse cœperit, certis historiarum argumentis doceri
„potest: nullam tamen ejus ante Suevorum imperium
„mentionem fieri constat. Sequutus postea Carolus 4. per
„auream Bullam Imperii ordines exactius distinxit Anno
„Christi 1356. Breviter, Electorum Senatus incipit post

„Fridericum secundum, & institutus est sub Pontificatu „Gregorii 5. Saxonis, paulo ante Imperium Rodolphi „Habspurgensis, Anno scilicet Christi 995.

„QUINTA ÆTAS usque ad Interregnum, quod secutus Rodolphus Imperator, Comes de Habspurg. à „quo omnes Duces Austriæ orti sunt, & floruerunt usque „ad Carolum 5. Imp. & adhuc præsens seculum nostrum. „Et hæc periodus constituitur in Anno Domini 1273. nam „tunc incepit Interregnum Imperii 17. annorum, nimirum à morte Guilhelmi Imperatoris Comitis Hollandiæ, „ab anno Christi 1256. usque ad annum 1273. hoc est, ad „Imperium usque Rodolphi Comitis Habspurgensis. Et „quum Ecclesia huc usque habuerit ferrea atque saxea tempora, jam cœpit acquirere lignea.

„SEXTA ÆTAS à Rodolpho Imp. fluxit usque ad „Imperium Caroli 5. hoc est, ad annum Christi 1519. Huic „Carolo 5. Imp. purioris doctrinæ Christiana Confessio, „(quam vulgò Augustanam vocant) exhibita est anno „Domini 1530. quæ reformationem Ecclesiæ habuit comitem, contra Papam, qui simul Magnus Antichristus re„velatur. Et hæc ætas huc usque lignea deprehenditur.

„SEPTIMA ÆTAS, à Carolo 5. Imp. usque ad reditum Christi Regis Regum, & Domini dominantium ad „judicium, id est, ad finem usque mundi: de quo Joan„nes Apoc. 11. audit voces de cælo dicentes, Facta sunt „regna mundi, Domini nostri, & Christi ejus, qui regnabit in secula seculorum, &c. Et hoc postremum seculum incipit esse igneum priora suo ardore devorans, „omniaque innovans.

Hæc de Carolo Gallo illiusque familia ac vitahabet Revius in Hist. Daventr. ad annum Videat V. D. hominem fuisse honeste & ab honestis parentibus ac avis progenitum; de Ecclesia Christi non una occasione optimè meritum, adeòque dignum cujus memoria nobis sit in Benedictione, *Natus fuit Arnemiæ Geldrorum, ex patricia familia, Anno* cIↃIↃxxx, *die* xvi. *August. ubi fundamentis Liberalium Artium, & cognitione Latinæ ac Græ-*

Græcæ linguæ mediocriter excultus, Coloniam Agrippinam ablegatus, ibi initio juri operam dedit: cujus nonnulla cognitione tinctus, cum usque ad XXV. *ætatis annum Pontificiis erroribus illaqueatus fuisset, misericordia divina iis evolutus, veræ & Orthodoxæ religionis zelo Genevam concessit, studiumque Theologiæ arripuit, sub præceptoribus Calvino & Beza. Peragrata deinde reliqua Gallia, in Germaniam se transtulit. redux in patriam, post multa exantlata pericula, Daventriam evocatus, ibi verbi divini præconem egit, sed turbata ibidem propter Pontificiorum persecutiones Ecclesia, Anno* CIϽIϽLXXI. *à Clivensium Duce Wilhelmo Hammonam Marchiæ oppidum evocatus, ibi per* XVI. *annos Pastoris munere in Ecclesia defunctus est. Paulo post vocationem suam, Arnemiæ in Pontificiorum manus incidit, qui ei capitis actionem intenderunt, verum Cliviæ Duce per legationem honoratissimorum virorum apud illos interveniente, e custodia dimissus & Ecclesiæ suæ restitutus est. Inde Anabaptistarum, præcipue è Monasteriensium reliquiis, quibus se mascule opponebat, furorem, expertus, ab iis vexatus, spoliatus, ejectus, & calumniis apud omnis ordinis homines eum in modum traductus fuit, ut à Clivensium Duce dimissionem flagitare fuerit adactus, eaque impetrata, Ecclesiam cui præfectus erat relinquere. Quod ipsum in causa fuit, cur Exegeticam suam adversus hanc sectam conscriberet ac luce donaret Quod factum Bremæ* XXVI. *Aug. Anno* CIϽIϽLXXVII. *Dedicatum autem fuit opus Celsissimæ memoriæ Wilhelmo Arausionensium Principi. Exinde generosissimi Comites Joannes Nassovius Gelriæ Gubernator, & Gulielmus Ludovicus Nassov. filius, Gubernator Frisiæ &c. Item Aula Gelrorum, in turbulenta illla ac tristi rerum tempestate, ejus in repurgandis ecclesiis opera usi sunt, eumque honesto stipendio ornarunt. Reversus autem Daventriam, per prodigiosam illius civitatis proditionem exul factus, pia conjuge privatus, omnibus fortunis denudatus, cum numerosa denique prole in extremas miserias & angustias præcipitatus, Anno* CIϽIϽLXXXVII. *Lugdunum Batavorum ad publicam Theologiæ Professionem, atque etiam ad Ministerium Ecclesiæ, una cum filio suo Henrico Gallo subeundum accersitus fuit, quod ultimum etsi propter grandiorem ætatem ab ipso administratum non sit, tamen filius ejus summo cum honore & fructu sustinuit. In Professione autem Carolus Gallus conscripsit Clavem Propheticam Apocalypseos, quam*

Ill. Principi Mauritio, & Ordd. Hollandiæ inscripsit Anno cIↃIↃXCII. VIII. *Febr. edita est Lugd. Bat. typis Raphelengianis anno sequente, adjectis Thesibus de Antichristo, quas eo præside propugnaverat Clar. postea J. U. D. & Professor Cornelius Pynackerus, & Tractatu auctoris de Magistratu. In Professione Leydensi per septennium versatus, post sopitos in patria militares tumultus, patriam repetiit, ubi in præfectura Ecclesiæ Neopaludanæ, quod supererat vitæ contrivit, & octuagenario major obiit. filio Henrico superstites fuerunt duo filii, Carolus & Hugo Galli, quorum ille, U. J. gradu, & Consulatu Leydensi clarus, hic Ministerio Ecclesiæ Vollenhovianæ fideliter administrato, beatas animas Deo reddiderunt. superest filia ejus quam descripsimus Caroli Galli, Rachelis nomine, quæ in virginitate ad magnam pervenit ætatem, & paterni ingenii æmula, edidit nonnulla ad posteritatem lingua vernacula.* Scripto illo tractatu pro Magistratus auctoritate, minus forte placuit nonnullis, quorum tela evitare satius judicavit quam excipere. Est paucarum Phylirarum opusculum.

Brocardum pariter sic satis severe perstringit, ut & *Johannem Napeir* quos intactos præteriisse satius fuisset. Brigthannem quoque nobis ὁμόψηφον non dicimus, uti nec Formannum quoque nobis ὁμόψηφον non dicimus, uti nec Formannum, besium, nisi quod de septem Epistolis fere similia doccant. Viri quoque sunt honore & encomiis digni. Quorum si minus forte probem sententias, nomina tamen veneror.

Serm: pag. 40. versu 7. *Mantuanus &c. Alphonsus Conradus Mantuanus* Vir doctus fuit & disertus. In præloquio ad Christum Jesum, conqueritur se *proscriptum Euangelii causa exilium sustinere* & paulo post: *execretur me Papa; quærant me Principes ad necem; insidientur mihi perditi illi nebulones, qui sub mentito inquisitorum hæreticæ pravitatis nomine hæresin pessimam defendunt, & doctrinam, quam nobis de cœlo ad vitam æternam consequendam attulisti, crudelissima fidelium cæde horribiliter, insectantur, nunquid efficere poterunt quin tu mihi sis advocatus & patronus?*

„Primum sigillum aperiri, significat advenisse tempus, „quo Euangelii munus (quod propositum dei manifestat) „in-

„introducendum esset in mundum..... hoc est igitur secun-
„dum sigillum aperiri: nimirum tempus advenisse, quo
„tali spiritu muniendi sint fideles, ut impii adigantur à
„Satana ad persequendum Euangelium. *Verum ut brevis sim, nihil ulterius addam præter id quod habet de Sexto Sigillo*
„Non igitur horribilem hanc commotionem quæ hîc de-
„scribitur, in alia tempora referam, sed in hæc nostra
„tempora referendam esse dixerim, cum sole clarius ho-
„die conspiciatur Papam commovere omnes gentes, ne
„veniat, qui desideratur ab omnibus, & ne impleatur
„Domus Dei gloria, quam illi tribuit Euangelii prædica-
„tio. Et hanc esse germanam hujus loci interpretationem,
„satis indicant sequentia verba, quæ declarant qualis terræ-
„motus conspiciendus sit, cum hujus sigilli apertio fieri
„contigerit.

„Et sextus Angelus tuba cecinit. Fidelium verbi mini-
„strorum multitudinem, qui vanitates & fraudes Anti-
„christiani regni Euangelii tuba detegentes, eorum malo-
„rum, quibus propter impietatem corripiendus est mun-
„dus, nuntii sunt, hic sextus angelus præse fert....... hoc
„est, ante buccinium sextæ tubæ, & sexti sigilli apertio-
„nem, ligati fuerunt in flumine magno Euphrate.

Serm: p. 40. Versu: 8. *Johannes Balleus &c.* Vir fuit eruditissimus multumque passus pro veritate. Paucis huic dicto fidem faciam ex H. H. Herωologia pag. 165. 166.
„Per tyrannidem Episcoporum Exul, in inferiori Germa-
„nia octennio mansit: in qua Anglico sermone multa
„conscripsit opuscula: Ab EDUARDO VI. Rege opti-
„mo revocatus, & Ossoriensis in Hibernia Episcopus fa-
„ctus, Christum crucifixum prædicavit. Sublato Rege san-
„ctissimo, & Baleum Mariana illa Hyems Hiberniâ expu-
„lit. Qui sexcenta quum evasisset pericula, à Piratis cap-
„tus, spoliatus, irrisus, immaniter habitus fuit, ac de-
„mum venditus. Pretio soluto dimissus, in Germaniam,
„tutissimum Christianæ pietatis portum se recepit. Quàm
„insignis hic Hostis *Rom. Antichristi* fuerit Baleus, cognos-
„cere licet ex *Laurentio Humfredo*, (nostro) Romanarum
„Papisticarumque Antiquitatum, indagatore solertissimo,

 „qui

,, qui ita in suo onere seu Prophetia Romæ, inter cætera,
,, de Baleo:

,, *Plurima* LUTERUS *patefecit*, PLATINA *multa:*
,, *Quædam* VERGERIUS *cuncta* BALEUS *habet.*

Is Anglico Sermone edidit librum in Apocalypsin; qui in linguam belgicam a Carolo Regio versus est, editus, annno 1555. Hunc deprehendo quoque reliquis ὁμό'ψηφον. De septem sigillis ,, Dese ontsluytinghen beteeckenen de Openba-
,, ringhe des Godelicken waerheyts;voor de seven verschey-
,, den tyden, ende manieren, vander doot Christi af, tot
,, op het laetste eynde des werelts. Den eersten seghele
,, was wech genomen, ende de vorborgentheyt daer onder
,, begreepen, open gedaen, wanneer dat de Apostelen en-
,, de de leerjongeren Christi overvloedelik vervult synde
,, met den heyligen geest volstandelijk het Evangelium de
,, gansche weerelt over verkondichden.

,, Ende den vreeselicken man te peerde was een groot
,, sweerde gegeven. De Heere hadde langen tydt dese
,, Tyrannen toegelaten te regneren om veel archeyts te
,, wercken, ende groote wreedtheyt te gebruycken. Seer
,, groot vervolginge, tyrannie ende moort wasser onder
,, *Nero*, *Domitianus*, *Trajanus*, *Aurelius*, *Severus*, *Ma-*
,, *ximinus*, *Decius*, *Valerianus*, *Aurelianus*, *Diocletianus*,
,, *Maxentius*, ende der gelyke andere, ende veel christens
,, bloedts was t' haaren tijde gestort.

,, Onder de figure ofte heymelike verborgentheyt, des
,, derden seegels ontsluytinge, werdt den ganschen staadt
,, ende gelegentheyt der Christelike gemeynte na den tijdt
,, der martelaren ende vrome getuygen Christi, de welke
,, alder wredelicxt om de belijdinge sijns naems ende
,, waerheyts waren benaut ende gedoot. Niet datter mar-
,, telaers ten dien tijden alleenlick waren ende niet voor
,, dien tijdt, ende daer nae, maer overmidts datse waren
,, overmenicht. Want in de Roomsche kercke onder an-
,, dere, waren alle de Dienaren des woorts of Bisschoppen
,, (gelijkse die noemen) vanden tijden Petri af tot op Silve-
,, sters

„sters dagen, tot den getalle van twee ende dertich ge-
„doot, ende niet een van hen ontgink.

„Ende terstont wiert ik gewaer, ende sach een swart
„peert, in gedaante de voorseyden Ketteren ende onsuyve-
„ren Dienaren, eergierigen Prelaten ende valschen Lee-
„raren, vol dwalingen, loghenen, hoverdie ende onrey-
„nicheyt vergelijkende ende uytdrukkende.

„Ende ik sach voorder, ende ik sach een bleek peert:
„het welke ik nam voor de gansche vergaderinge der hijpo-
„crijten of de geveynsde Gemeynte Antichristi, bleek als
„ongesonde menschen, ende dootverwich ende blaaw
„sonder dat lustich leven het welke is in Christo Jesu.

„Het is baarblijkelijk by het gene datter te vooren ge-
„sien is geweest ende vanden vier peerden verhaalt, hoe-
„danich den standt der Christelijker gemeynte was, ende
„nu is in dese laatste dagen. Sulk een gruwelike verstoo-
„ringe hadden de Antichristen met haar boose rechten en-
„de gebooden met haar bedriegelijcke leeringen der dwa-
„lingen ende loghenen, om haar stinkende rijke des ho-
„verdicheyts, nijdicheyts, geveynstheyts, ende beestelik-
„heyts te houden staande, opgherecht, so dat nauwelik
„eenich dink daer schoone, suyver ende Goddelik geble-
„ven sij. Nu doense geen dink anders dan dooden. Niet
„anders trachtense ende pogense ten desen tijden dan om
„te vervolgen, vangen, spannen, verhongeren, bran-
„den, onthoofden ende hangen. Nu hebbense verkregen
„inder Rechteren stoelen te commen, ende daar te sitten
„over het leven ende doot der onnoosselen sonder hen
„selven te besmetten. Verum cum locus unus atque alter
sit qui mentem Summi Viri de pluribus uno halitu ape-
riat, sufficiet eum excerpisse.

„Ende ik sach (seyt Joannes) seven Engelen voor de
„Majesteyt Gods staande, de welcke de seven vercondi-
„gers des woordts beteekenen, omme de seven bysonder-
„like ende verscheyden tijden des ontsluytinge der seven se-
„gelen, tot eenen yderen segele eenen Engele vergelij-

„ kende. Want al het geene dat de Predicanten van het an-
„ begin des Evangeliums totter tijdt deses ontsluytinge des
„ laetsten segels gedaan hadden, sal als dan al t'samen er-
„ schijnen ende openbaar werden. In dien dach (seyt
„ Esaias) sal het groot basuyn geblasen werden, die verlo-
„ ren hebben geweest sullen vande Assyrische commen,
„ het verstroyde cudde ende hoopken sal van Egypten com-
„ men ende den Heere inden heyligen berch te Jerusalem
„ anbidden.

„ *De Phialis.* Dese werden de laatste straffen genaamt
„ om dieswillen dat sy inde laatste eewe des weerelts op
„ de goddeloose vallen. De welke Esaias, Hieremias,
„ Oseas en de Micheas namen de laetste dagen, Joannes de
„ laetste ure ende Paulus de eynden des weerelts te wesen.
„ Sy werden hier seven genaamt in een gemeen opsicht der
„ tijden, persoonen, plaetsen ende der valscher leeringen
„ des gansche weerelts. Ende ook om de seeven segelen en-
„ de der seeven basuynen wille tot welker meeningen ende
„ gevoelen sy ganschelik ende recht over een komen, als
„ in't navolgende capittel breeder sal blijken ende verklaart
„ werden.

Serm: p. 40. versu 9. *Petrum Artopæum &c.* De eo vide Micrælium pag. 735. Hæc ille.

Et in medio septem candelabrorum) Totidem sunt dies Ecclesiæ, usque ad æternum Sabbathum. Alludit ad candelabrum septem lampadum Legis, quas incendit & curavit summus Sacerdos, cujus sequitur descriptio.

Habebat in dextera sua Stellas septem) habet in sua tutela & gubernatione Ecclesias speciales, & universalem, in perpetua successione, & revolutione, ut septem primos dies, usque ad finem mundi.

Et septem Lampades ardebant coram throno, quæ sunt septem Spiritus Dei) Juxta typicum candelabrum septem lampadum, in tabernaculo. Est doctrina Euangelii de Christo, per Spiritum sanctum septies in orbe renovata, ut septem primi dies, usque

usque ad consummationem, donec oriatur Lux æterni diei, Sol justitiæ.

Datæ sunt illis septem Tubæ.) Tuba publici cœtus, belli, & pacis: remissionis, & libertatis: convocationis, & dimissionis: Jubilei, & luctus, vetus symbolum, & instrumentum fuit, idem usus Euangelii est. Septenarius numerus significat septenarias ejus iræ rationes, & effectus in Ecclesia, juxta septenariam iterationem primi Verbi in Creatione. Gen. 1. Non simul, sed successive, nec prius (quàm mystagogus angelus sacrificaverit, id est, Christus passus fuerit) instandæ.

Primus Angelus tuba cecinit) primus Apostolus Euangelii ad Gentes, usque ad Constantinum.

Secundus Angelus tuba cecinit) Renovatio Euangelii per universum, tempore Constantini.

Et quasi Mons magnus, igne ardens, projectus est in mare) Imperium quartæ Monarchiæ, vastatum est per Gotthos, & igne iræ Dei exustum, propter crudelissimas persecutiones adversus Ecclesiam.

Tertius Angelus tuba cecinit) tertia renovatio Euangelii, doctrinæ fidei de Christo, habuit alios eventus, & contingentias, postquam Euangelium superavit, & Gentilismum abrogavit, cessaveruntque barbaricæ persecutiones. Constantino, totoque imperio ad Christum converso, Ecclesia pacem consecuta est. Sathan aliud perniciosius intendit stratagema, instigavit Episcopos ambitione majoritatis in Ecclesia, ad quam armavit eos sophistica, & mutuis calumniis, telisque in seipsos conversis, quasi intestino bello extingueret Ecclesiam.

Cecidit è Cœlo Stella magna) ad instar lapsi Sathanæ de cœlo, Antichristus, ex Patribus & Episcopis Ecclesiæ, ambivit Imperium.

Ardens tanquam facula) æstu ambitionis.

Cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum) pri-

primum occupavit tertiam partem Imperii, ſeu provinciarum, ſeu, ut Daniel inquit cap. 7. Cornu parvum, inter decem cornua Beſtiæ quartæ exortum, tria cornua evulſit.

Nomen Stellæ eſt Abſinthium) á qualitate, amaritudine, & pernicioſitate mentis.

Et verſa eſt tertia pars in abſinthium) Ab effectu, Tunc venenum miſſum eſt in Eccleſiam, & Politiam. Epiſcopi, & Principes indigne tulerunt, & ad perniciem ſuam experti ſunt Antichriſti ambitum Imperium.

Ac multi homines mortui ſunt ex aquis, quod amaricatæ fuerant) Multi offenſi ambitione Antichriſti, deficiebant ab Eccleſia, ut orientales Epiſcopi, & Principes, ideoque multi ex ſedibus ſuis pulſi ſunt.

Quartus Angelus tuba cecinit) poſt conſtitutum Imperium Epiſcopale, actum eſt in Synodis de Doctrina Eccleſiæ.

Et percuſſa eſt tertia pars Solis) Sol, Chriſtus, Doctrina Euangelii, articulus Juſtificationis, tertia ſui parte obſcurior factus eſt, detortis ſententiis, quæ ad ſolum Chriſtum ſpectat, ad ſummum Epiſcopum; ut, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Paſce oves meas, Quicquid ligaveris, aut ſolveris, ligatum & ſolutum erit.

Quintus Angelus tuba cecinit) convocatas Synodos Epiſcoporum, pro inſtauratione doctrinæ fidei, de Perſona Chriſti, & deipara Virgine, ejus matre, Bonam cauſam ſecutus eſt malus effectus, non per ſe, ſed per accidens, & occaſionem, in perniciem officii, & meriti Chriſti, quæ eſt proprietas Antichriſti occidentalis.

Vidi ſtellam, de cœlo lapſam in terram) Antichriſtum occidentalem, de quo ſupra 8.

Cui data eſt) à Deo irato. 2. The. 2. Rom. 1.

Clavis putei abyssi) Sophistica, Vis, efficacia, operatio, & energia erroris, & illusionis, ut credant medacio, & judicentur qui non crediderunt Veritati. 2. Thess. 2.

Ac aperuit puteum abyssi) Movit camerinam, sentinam, & colluviem tartaream, doctrinarum dæmoniorum, seu humanarum traditionum, contra Officium, & Meritum D. N. Jesu Christi, ut necessaria adminicula ad salutem.

Ascenditque fumus putei) Merita humana, Asa fœtida, stercus Diaboli, Phil. 2. fætor exitialis, perniciosus, & pestilentialis.

Quasi fumus fornacis magnæ) undique se diffundens, totumque aerem replens, Ecclesiam.

Et obscuratus est Sol) primus effectus tartarei putei, Christus, Sol justiciæ, non de cœlo detractus, non negatus de Persona, seu essentia divinæ & humanæ naturæ, sed obscuratus, de Officio & Merito, quasi penitus ademptus ex usu hominum ad salutem.

Et Aer) sine quo homo vivere non potest, significat veram doctrinam fidei, interpretationem, mentem, spiritum, intellectumque scripturæ, obscuratum esse.

A fumo putei) per doctrinas dæmoniorum, de humanis meritis quasi ad salutem necessariis.

Ex fumo prodierunt locustæ in terram) Locusta insectorum bestiola est, stridens, saltans, volans, segetes depascens, irati Dei plaga. Ita ex pernicioso Anoichristi dogmate, prodierunt falsi doctores, Sophistæ, Antichristi soboles, & familia, qui immenso agmine instar cancri serpebant, instar locustarum saltabant, tandem in universum volabant, stridebant, omnium aures personabant, nullum locum scripturæ intactum infœdatumque relinquebant.

Sextus Angelus tuba cecinit) Ministerium Euangelii, doctrinam Euangelii ab hæreticis depravatam, convocatis Synodis,

ad puritatem instauravit. Ubi Sathan, Antichristus, inter filios Dei mistus, ab integro camerinam infernalem movit de Sacrificio Sacramenti, unde causata est ira Dei. Væ secundum, per Turcatum.

Et audivi vocem quandam, ex quatuor cornibus Altaris aurei, quod est coram Deo) Christus pariter Altare, Hostia, & Sacerdos æternus, indignè ferens sui Sacramenti totiusque meriti prophanationem per Sacrificium meritorium, Apollyontis, pro vivis & mortuis, ad peccatorum expiationem, ex opere operato, quod sibi soli competit, ejus Vocem severissimam, adhuc audimus in effectu sonantem.

Dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam) Ministris Euangelii, veram institutionem Sacramenti & Meritum Christi profitentibus, & propter ejus prophanationem, Deum pro vindicta inclamantibus.

Solve quatuor Angelos, flumine magno Euphrate ligatos) Angeli ligati, Spiritus mali, grassatores & perditores sunt, sua subjecta exagitantes, Angeli ratione ministerii, & legationis. Quatuor: Othomannus, Assembecus, Candelorus, & Caramannus. Turcarum Duces. Euphrate ligati, & prohibiti, nunc soluti & permissi horsum grassari, & Antichristianismum occidentalem, propter summum scelus, prophanati Testamenti & Meriti Christi, affligere, & populari. Ergo Voce & Voluntate divina Turci grassantur, non casu.

Sed in diebus vocis Angeli septimi, cum tuba clanxerit, consummatumque fuerit Dei arcanum, sicut euangelizavit servis suis Prophetis.) Incipiet æternum sabbathum, Redemptio, Libertas, Hæreditas. Ea septima Tuba jam clangit, dum prædicatur Euangelium regni in Mundo universo, quam sequetur consummatio Mundi. Matt. 24.

Serm: p. 40. versu 9. *Wissemburgium &c.* Et hunc reliquis adscripsi, quia video & Baptistam Mantuanum & Franciscum Lamberti & Foxum, quoties ad ipsum provocant, sententiam ipsi adscribere, quod ad summam rei, cum ea, quæ jam memoratis recepta est consentientem.

Serm: 42. versu 24. *Manet, pluribus receptam esse doctrinam &c.* Utique si necdum sufficiens sit testium numerus, audiantur plures.

Elbertus Leoninus. De quo in Sermone pag. 26. Hujus extat Contemplatio Exegetica in Apocalypsin, impressa Traject; ad Rhenum apud Hermannum Boculo, 1602.

Sic ille p. 26. *Per Asiæ Ecclesias ad Universitatem Ecclesiæ totius scribitur.* Scio opera. &c. *Asiaticæ ecclesiæ quæ Hierosolymitanam, & in ea primitivæ quæ Apostolos subsecuta est statum exprimit, & in eo primi temporis conditionem ut ferè esse solet in omnibus & singulis quorum candelabrum aureum est.*

Et angelo smyrnæ. &c. *Alium & subsequentem ecclesiæ statum & unum de septem & in numeratione secundum ostendit Dominus.*

Et angelo pergami &c. *Tertium Ecclesiæ statum & unum de septem indicat qui romphæam habet ex utraque parte acutam ad gratiam & judicium,*

Et angelo Thyatiræ. &c. *De quarto statu loquitur filius Deì in spiritu fortitudinis.* Porro de Sigillis.

Equus albus. *Intentio scilicet spiritualis sincera & sancta, puritasque doctrinæ & verbi divini virtus immaculata in primo statu Ecclesiæ sive ecclesiarum post Christum.*

Et cum aperuisset sigillum secundum. &c. *Proximè sequentis sive secundi status conditio ostenditur sanctis superanda in Christo.*

Equus rufus. *Contentionis scilicet sive contentiosæ æmulationis & colluctationis sanguinariæ,*

Et cum aperuisset sigillum tertium. &c. *Tertii cursus conditio ostenditur.*

Equus pallidus. &c. *Haud niger neque albus sed perversæ intentionis deficientis ab albo & accepta gratia: item desperantis conscientiæ quæ tanquam valedicens.*

Et

Et vidi cum aperuisset sigillum sextum. &c. *Ad apertionem sigilli gloriæ Dei rursum dicit vidi & ecce: innuens se in spiritu vidisse effectum senarii numeri in ecclesia Christiana futurum & similiter etiam suo tempore vidisse in ecclesia veteris Testamenti. Et sub adventum Domini quidem (ut in Euangelio & apud Josephum videre est) miserè evanuerat pietas, omnis aderat (in ordine etiam ecclesiastico) profanæ cogitationis abusus & confusionis nigredo, nulla veræ sanctitatis cura: certabant de principatu sacerdotes, vendebantur sacerdotia, vanitati inserviebant munia sacra, plena hypocrisi contentione & sanguinaria impietate, conspurcata conculcata & contaminata erant omnia. Quod omnibus maximè considerandum est ut semper meminerint instare adventum Domini secundum & ultimum, judiciumque horrendum separationis æternæ.*

Johannes Georgius Grossius Basileensis Theologus, editis Theatro Biblico 2. Tomis & Theologia populari, aliisque jam dudum clarus. In Commentario ab ipso Ecclesiaste tum Genevensi, Gallicè edito, cui nominis loco præfigitur *Sis Organon Jesu*, hisce verbis de septem periodis in Epistolis reperiundis, sententiam suam planissime declarat Dans l' Argument du Cap. 1. (*qui repræsentent toutes les Eglises particulieres:*) *Jesus Christ nostre Mediateur, qui nous á docouvert les sept seaux desquels ce liure là de Dieu estoit cachete, comprenant sommairement & en general tous les evenements, estat & diverse condition de l' Eglise Chrestienne, selon les quatre periodes, soit âges d'icelle en ce monde. C'est que au premier sous la conduite speciale de Jesu Christ par ses Apostres, & hommes Apostoliques, l'estat de l'Eglise seroit resplendissant en pureté & en puissance de par Dieu à la destruction des forteresses, & de toute hautesse qui s'exhausseroit contre la cognoissance de Dieu, comme nous monstre l'ouverture du premier seau: & celle du second que le second age de l' Eglise degenereroit de ceste pureté là, par troubles, dissensions, & debats mutuels des Chrestiens. Et qu'au troisieme aage (comme nous predit l'ouverture du troisieme seau) l'Eglise seroit ternie & offusquée d'ignorance & de corruption ès mœurs, par disette & defaut de la pure predication de la parole de Dieu, panchant à la revolte: laquelle par l'ouverture du quatrieme est predit deuoir advenir en la quatrieme periode & aage de l'Eglise sous le reigne de la mort suivie*

de l'enfer, qui est la monarchie de Rome, & de Mahomet, auec puissance & efficace de Satan en toute cruauté contre les vrais fideles, autant & plus qu'ès aages precedents; les ames desquels jouïssent cependant de la consolation celeste, attendant que le nombre des martyrs soit accompli; qui est le secret du cinquieme seau: & celuy du sixieme que les infideles & apostats seront en leur temps, frappés de diverses playes, & totalement en fin exterminés au jour de l'ire & de la declaration du juste jugement de Dieu, qui toutes fois vivant ce jour-là appellera à sa cognoissance ses esleus tant d'entre les Juifs que d'entre les autres peuples & nations infideles & idolatres, & donnera mesme finalement quelque repos & paix temporelle à son Eglise, comme porte la prophetie du septieme seau.

In tabula, totius operis delineationem exhibente, docet septem sigilla continere iconem Ecclesiæ Catholicæ militantis ea ratione ut significent.

1. *Que l'Eglise en sa premiere periode resplendiroit en pureté de foy & de saincteté de vie, à l'advancement du regne de grace de Jesus Christ, par la vertu & dons extraordinaires du Sainct Esprit, jusques à Constantin le Grand enuiron l'an 335. de Christ. Apoc. 6. 1. 2.*

2. *Que l'Eglise en sa seconde periode degenereroit de sa premiere pureté, & seroit troublée par diverses heresies: de puis Constantin le Grand, jusqu'à Phocas, enuiron l'an 602. Apoc. 6. 3. 4.*

3. *Que l'Eglise en son troisiesme aage seroit toute noircie de faim du pain de vie, & disette de la predication de la Parole de Dieu, depuis Phocas jusqu'à Constantin Copronyme, enuiron l'an 755. Apocal. 6. 5. 6.*

4. *Qu'en sa quatriesme periode elle seroit reduite sous la puissance & domination de la Mort, & de l'Enfer, du Papisme & Mahometisme. ce qui est advenu depuis Constantin Copronyme. Apoc. 6. v. 7. 8.*

5. *Que la vraye Eglise sera subjette à persecutions en toutes ses periodes Apoc. 6. 9. 10. 11.*

6. *Que Dieu exterminera finalement tous ses ennemis. Apoc. 9. 12. 17. Mais en telle sorte toutes fois qu'il rappelera & convertira à soy tant les Juifs, que plusieurs d'entre les Papistes, & autres Idolatres. Apoc. 7.*

7. *Que l'Eglise jouyra finalement en ce monde, de paix temporelle & delivrance de persecution formelle. Apocal. 8. 1.*

Theocritus Justus in Proleg. in Apoc. Sic ille Procem. Speciali in Visionem Prim. ,, Nam cum de sensu Prophe-
,, tiæ judicandum sit ex eventu; (si verum est quod dici so-
,, let; citius impleri Prophetias, quam intelligi) videmus
,, in Ecclesiâ Christianâ reperiri septem insignes & genera-
,, les mutationes per septem ætates successivè exortas, quæ
,, accuratè respondent septemplici Ecclesiarum Asiaticarum
,, statui. Ecclesia enim Christiana primò conflictata est cum
,, falsis fratribus: deinde cum Tyrannis persequutoribus:
,, Tertiò cum seductoribus hæreticis: Quartò, ipsa decli-
,, navit ad cultum idolorum: Quintò, tota tandem à fide
,, apostatavit: Sexto cæpit Ecclesia seipsam reformare: ac
,, tandem rursus in fine tepescet, quando nimirum Domi-
,, nus est rediturus. Nam *sicut in diebus Noë & in diebus Loth,*
,, *sic erit in die illâ, quando filius hominis revelabitur. Luc.* 17.
,, 30.

,, Talis est status ac conditio septem Ecclesiarum Asiæ:
,, ut *Ecclesia Ephesina* typus esse possit Ecclesiæ Christianæ
,, conflictantis cum pseudo Apostolis; propter id quod di-
,, citur; *Tentasti eos, qui dicunt se Apostolos, & non sunt.*
,, *Apoc.* 2. 2. *Ecclesia Smyrnensis* typus esse potest Ecclesiæ
,, Christianæ conflictantis cum persequutoribus: propter id
,, quod dicitur: *Habebitis tribulationem dierum decem. Apoc.*
,, 2. 10. *Ecclesia Pergamensis* typus esse potest Ecclesiæ Chri-
,, stianæ conflictantis cum hæreticis; propter id quod dici-
,, tur; *Habes tenentes doctrinam Balàam, & Nicolàitarum.*
,, *Apoc.* 2. 14. *Ecclesia Thyatirensis* typus esse potest Ecclesiæ
,, Christianæ conflictantis cum idololatris; propter id quod
,, dicitur, *Permittis mulierem Jezabel docere, fornicari, &*
,, *manducare de Idolothytis. Apoc.* 2. 20. *Ecclesia Sardensis* ty-
,, pus esse potest Ecclesiæ deficientis à fide; propter id quod
,, dici-

,, dicitur; *Nomen habes quod vivas, & reverà mortuus es: ac*
,, *pauci sunt, qui non inquinaverunt vestimenta sua Apoc.* 3. 1.
,, 4. *Ecclesia Philadelphensis* typus esse potest Ecclesiæ seip-
,, sam reformantis; propter id quod dicitur; *Ecce dedi*
,, *coram te ostium apertum, quod nemo poterit claudere: dabo*
,, *de Synagogâ Sathanæ, qui dicunt se Judæos esse. Apoc.* 3. 8.
,, *Ecclesia Laodicena* typus esse potest Ecclesiæ tepescentis:
,, propter id quod dicitur; *quia tepidus es, nec frigidus nec*
,, *calidus, &c. Apoc.* 3. 17.

,, Certè! Singulis ferè Epistolis quicquam inseritur,
,, quod futurum aliquid portendat in aliis Ecclesiis. Smyr-
,, nensibus enim indicitur *tribulatio dierum decem Apoc.* 2. 10.
,, At si nihil aliud his verbis significatur, quam quod ipsa
,, sonant, vix digna esset hæc tribulatio, tàm citò transitu-
,, ra, ut illius mentio fieret in hac Apocalypsi: præsertim
,, cum tam seriâ commonefactione; *Esto fidelis usque ad*
,, *mortem.* Quantò gloriosius erit spiritui prophetico, si di-
,, camus in hac decem dierum persequutione præfiguratas
,, esse notissimas ac gravissimas illas decem persequutiones
,, Romanorum Imperatorum? Ideò etiam fit mentio *Anti-*
,, *pæ*, in primâ persecutione sub Domitiano occisi: ut qui
,, sit quasi ΑΝΤΙΠΑΝΤΟΣ, id est, vice & loco omnium,
,, qui sequentibus persequutionibus erant martyrio coro-
,, nandi. Non ineptè etiam Balàam Apoc. 2. 14. statuitur
,, typus esse omnium hæreticorum; ut qui à Petro *Propheta*
,, nominetur 2. *Pet.* 2. 16. & intelligit proculdubiò falsum
,, prophetam: quales esse solent omnes, hæretici; ipsorum
,, quoque *Nicolaitarum* successores. *Mulier Jezabel Apoc.* 2.
,, 20. si conferatur cum *Babylone* Apocalypseos, videbimus
,, utramque appellari fœminam, utramque fornicariam &
,, utrique nomen affictum apponi: ne dubitemus hanc il-
,, lius esse typum, Philadelphensibus scribitur, *Ego servabo*
,, *te ab horâ tentationis, quæ ventura est in orbem universum,*
,, *tentare habitantes in terrâ. Apoc.* 3. 10. Quod si per eam in-
,, telligamus seductionem Antichristi conjunctam cum no-
,, vissimâ illius persequutione, quæ opinio est multorum
,, antiquorum; quo beneficio ab illâ servari dicitur hæc ipsa
,, Ecclesia, quæ longe ante eam fuit eversa? Tandem in
,, Ecclesiâ Laodicenâ mentio fit *Cœnæ. Apoc.* 3. 19. At cur

„ hîc magis mentio fieret cœnæ, quàm alibi: nisi ut osten-
„ datur post ultimam Ecclesiæ Christianæ ætatem hîc præfi-
„ guratam; affuturum tempus *Cœnæ novissimæ:* de qua infra
„ scribitur; *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*
„ *Apoc.* 19. 9. Tandem tota hæc tubarum prophetia claudi-
„ tur indictione tubæ novissimæ, quæ est septima. Licet
„ vero ibi personent voces lætitiæ; tamen cum omnia reg-
„ na mundi non possint fieri Christi sine magna commotio-
„ ne, eas antegressura sunt horrenda illa septem tonitruo-
„ rum judicia, quæ jam ante descripta fuissent, nisi huc
„ pertinerent, nempe ad initium tubæ septimæ. Eorum ul-
„ timum in effusione phialæ septimæ finali Babylonis inte-
„ ritu terminabitur: *Apoc.* 16. 19. post quem demum hæ vo-
„ ces audiuntur in cœlo; *Alleluja: quoniam regnabit Domi-*
„ *nus Deus noster omnipotens. Apoc.* 19. 6.

Matth. *Hofmannus*, Vir inter fratres Augustanæ Confessionis insignis, licet & æquale temporis spatium singulis tribuat, adeoque secus à nobis sentiat, septem tamen periodis res Novi Testamenti decurrere, serio adseverat. Epistolas quoque Sigillis Tubiciniis & Phialis facit parallelas.

Heunischius aliique tam è nostris quam iis, qui ab Augustana Confessione nomen gerunt, deinceps eandem sententiam palam sunt amplexi.

Alstedius in Trifol: Prophetico. In Apoc. p. 8. *Johannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asiâ*, minore scil. quæ est pars Asiæ majoris. Ad has septem scripsit, quia in illis diu docuerat. Sic autem ad illas scribit, ut eas simul constituat typos universæ Ecclesiæ gentium: ut videbimus.

Quin & ipse Launay licet in multis aliter sentiat, non tamen nos hac in parte penitus destituit. Sic ille de Sigillis in Argumento Capitis Sexti Apocalypseos.

En ce chapitre S. Jean descrit l'ouverture du livre & de six de sept seaux, sous le premier desquels est represente' Jesus Christ allant, en la personne de ses serviteurs, espandre la lumiere de l'Euan-

l'Euangile par tout le monde. (vers. 1, 2.) Sous le second seau est representé Satan, venant en suite, en la personne de ses supposts & ministres, pour empescher le cours & le progrez de l'Euangile, par les persecutions & guerres qu'il suscite à l'encontre. (vers. 3. 4.) Sous le troisieme est representé le mesme Satan, venant en la personne d'autres siens ministres, pour par fausse doctrines obscurcir & offusquer la lumiere de l'Euangile, duquel il n'auoit peu par les persecutions arrester le cours. (vers. 5. 6.) Sous le quatriesme seau est representé la punition que Dieu feroit de l'ingratitude & malice des hommes, qui reiettent & persecutent l'Euangile. (vers. 7. 8.) Sous le cinquieme est representee la liesse & la gloire, en laquelle sont receues, à l'issue de cette vie: les ames de ceux qui ont souffert la mort pour l'Euangile. (vers. 9. 10. 11.) Pour fin, est sous le sixiesme seau representee & descrite la totale & finale destruction de la domination & puissance des ennemis & persecuteurs de l'Euangile. (vers. 12. & sumans)

Non putem crediturum Lectorem Viro Docto, sexcenties licet deinceps obtendat paucitatem illorum qui discessum à Papatum fecere & hac in parte nobiscum faciant. Nubes est testium & ingens quem allegavi numerus. Nec vel tantillum huic veritati obesset, licet à paucis hactenus fuisset perspecta. Verum cum suppetat tam insignis tantorum Virorum cætus qui nobiscum hac in parte sentiunt, retundenda fuit imbecillis ab numeri exiguitate petita Viri Docti Objectio. Nec verbum addam, nisi petere me obnixè, ut tot mihi indicet suæ explicationi assentientes, quot ego jam recensui septem Periodorum Patronos.

Ast *inventam à Monachis nugacibus non solum sed & fanaticis periodorum N. Test. Heptada*, ut ut confidenter adseveret Vir Doctus, nemo credet, modo gravissimos primorum seculorum Scriptores, nobis antea citatos, attenta mente audiverit, ni & illos in eundem Monachorum censum redigere impudens audeat.

Neminem, licet pluribus antea placuerit, *Doctrinam illam ita dogmaticè tradidisse, ubique in Scriptura V. & N. T. reperisse, tantoque cum studio inculeasse & necessariam planè popugnavisse quam Celeberrimus toto orbe Coccejus*, lubens fateor.

teor. At *necessitatem* intelligit, non qualis est dogmatis quod ad fundamenti integritatem requiratur, qualem quis ex verbis Censoris forte colligeret; sed qualis in iis est, sine quibus haud ita quis proficere in prophetiarum intellectione possit.

Coccejum à se ipso, aliisque ipsi hac in parte assentienties multum discrepare, non apparet ex iis quæ habet Vir Doctus §. 20. 21. 22. imo vero magnam & exactam satis consensionem, quisquis sine præjudicio legerit, ex iis colliget. Certe in explicandis dogmatis non minus Vir Doctus à se ipse & ab ipso alii diversa statuunt, quam heic in re prophetica à Coccejo fieri ejusque sociis probare poterit.

Mentem eorum, quos periodistas vocat, & argumenta quibus eam confirmant, licet longe melius fieri potuisset, ita tamen proposita reperio, ut cogitaverim, idem quod de Bellarmino nonnulli Pontificii conqueruntur, qua propter ejus opera minus commendantur, & variis, in Hispania potissimum, locis non leguntur, huic Scriptori evenisse, nimirum plurima sibi solvenda sumsisse quæ revera enervare non potuit aut poterit unquam.

Unum est in quo vereor ne memoriam sibi satis habuerit propitiam. Memini me aliquando, preces fudisse in cœtu publico quæ continebant orationis Dominicæ paraphrasin aliquam ita institutam, ut ea, Ecclesiæ inde à tempore Christi recensens fata, continua serie alluderem ad verba Orationis Dominicæ, potissima exprimens vocabulis, quibus Christus nos uti voluit in recitanda dicta oratione. Nec domi tantum, verum & in frequentissima quadam alia concione id à me factum memini, non sine applausu exercitatiorum, absque tamen aliorum offendiculo, utpote qui ne animadvertissent quidem id quod aliis magnopere arriserat. Verum aut à me, aut ab alio unquam *totius cœtus nomine Deo gratias fuiße actas, quod tam sapienter in communi Oratione omnes docuißet Dominus successiva Ecclesiæ fata*, ego quidem prorsus non memini. Et quid si fuisset factum? An nihil in publica oratione memorandum, nisi quod omnes æque intelligant, aut cui singuli adstipulentur. Nihilne a Deo petendum

dum, nisi quo omnes & singuli se indigere sciant, quodque petant pariter ac is cui cœteris præeundum est? Nullane bona aut benefacta Dei in laudis materiam publicè vertenda, nisi quæ singulis sint perspecta atque impertita?

Nihil, inquit, *magis certum & solidum esse oportet, quam in quo consensum totius Ecclesiæ in precibus nostris ad Deum flagitamus.* Sed fateor non assequi me horum verborum mentem. Quid sibi velit, *assensum totius Ecclesiæ in precibus ad Deum flagitare*, prorsus non percipio. Ego etiam incerta & uondum cognita sæpe Deo propono, ut me erudire velit & ulterius instruere. Sunt & nonnunquam nonnulla & certa Oratiori sacro & solida, quorum cognitio multis latet Auditoribus. Os Dei dicitur ad populum & rectè; sed corpus constituit populus, cujus singula membra suis laborant necessitatibus. Prudentia heic opus est, & zelus & simplicitas Euangelica & nescio quæ non. Utinam indies ex infimis præcordiis cœlitus mittamus pia discipulorum verba *Domine doce nos orare.*

Diversitas, qua ab invicem ipsi illi periodistæ dissentiunt, magnopere me confirmat: quando de rei summa idem fere sensisse per omnia secula, ex præcedentibus, res jam manifesta magis est, quam ut probatione indigeat. Nec sane tantus est inter ipsos de re ipsa dissensus, quantus inter Interpretes de 70. Danielis hebdomadis multisque aliis reperitur, nec argumenti tamen, pro adventu Messiæ contra Judæos adferri soliti vis eo perit & robur.

Et sane, ut seriem videat, quid clarius, quam à Christo in cœlos profecto, usque ad redeuntem se porrigere vaticinia? Neque ullum exemplum habet §. 39. ita manifestum.

At magni Viri modestiam sinistrè accipi, & eo rapi, ut videatur de rationum suarum robore dubitasse, laudare non possum. *Ipse petrus à se dictis* Βεβαιότερον modestè subjungit, *sermonem propheticum. Firmiorem: nimirum iis quæ nos audivimus*, quis hinc collegerit Petrum præcedentia pro minus certis ac solidis accepta velle? Sunt loca

quæ ansam dant pensiculatius cogitandi, quorum in aliis ulterior reperitur probatio. Pro *Bestiis* si pisces legendum monuisset censor, magis sibi ipsi consuluisset, quam quod istiusmodi lapsum calami exprobrare audeat Viro Summo.

Verum jam dudum modum, quem mihi præscripseram, excessi, neque enim lubet, hac quidem vice, singula prosequi, quæ à Censore dicta sunt, neque forte lubebit unquam. Satius est in docenda veritate & explicando verbo Dei operam collocare, quam pati, ut pretiosissimum tempus inutili verborum prolixitate nobis eripi patiamur. Abundet unusquisque suo sensu. Piget enim ulterius progredi, quando video tanquam pugnantes objici, quorum unus septem, alter octo, plures tertius dicat rerum futurarum periodos. Ad Septem Johannes refert, sed quæ subdivisiones patiuntur. Plures autem quisquis posuerit is idem ad septem denuo omnia referet, ubi res Novi T. tanquam antitypas primæ creationis cogitaverit. Ad octo autem, quando diem resurrectionis Die prima seu Octava subjunctam considerat. Quibus paucis probe notatis ruit universa galeati prologi moles.

Alius Vir Doctus, qui de Sensu Epistolarum Asiaticarum Diatriben iterato edidit: ex dictis videre poterit an sibi res *solum* sit *cum recentioribus Viris Doctis*. §. XVI. *Interpretes in causæ* nostræ *subsidium*, nullos allegamus: traditionariis id, non Scripturæ discipulis in more positum est. Cum Veritatis Studiosis consensum nonnunquam docemus, fateor. Et magna cum voluptate vidi tantam nos heic circumstare testium nubem. Nec *veteres* enim nec *novos*, *id dicere*, *quod Viri isti eruditi volunt*, *quibuscum* ipsi *hæc instituta Disputatio est*, quam verum sit, precor ut hisce lectis, apud animum suum expendat V. D. Imo frater *dicunt id quod volunt isti Viri*, quin gratias agimus Spiritui Sancto, qui tam multos docuerit ex verbo eadem, quod ad rei summam, quæ nos, tam de Septem periodis Novi Testamenti in genere, quam de Ecclesiis Asiaticis singulatim docemus. Vide obsecro quæ pag. 70. 71. 72. ex Thoma p. 71. Hugone de Sancto Caro p. 88. recentioribus, seu, ut ipse plus semel loqui amas, *novioribus* pag. 116. 93. & sequentibus,

bus, protuli & judices, an merito nobis consensum cum Veteribus pariter ac novis, hac quidem in parte, abjudicaverit. Verum sciat consensum nos non obtendere, qualem V. D. sibi formavit, ut negare aliqua cum specie possit. Quis enim nostrum dixit, imo vel per somnium cogitavit id, quod abscribit fratribus? *Nimirum propriè literaliter, atque ex intentione Spiritus Sancti, verbis harum Epistolarum delineari, non quod Johannis tempore in Asiæ Ecclesiis agebatur, sed quod in universali Ecclesia septem temporis periodis ordine succedentibus futurum erat.* §. CXXXIV. Addo ex §. XVI. *sicut septem sigillis ac septem tubis.* Pacis studiosi est non quærere, sed evitare, sed componere lites. Quod ita hic factu facile est, ut intendere ingenii vires debueris, quo reperires quicquam de quo cum fratribus altercareris. Inde à §. X. notas nonnulla utrimque concessa. §. XVI. verba profers quibus conciliare animos potuisses: contendunt, inquis, *Ecclesias Asiæ non tam in se considerandas esse, quam, ut emblemata & typos.* Considerandas igitur & in se esse largimur; tu ut emblemata & typos considerari non prorsus absurdum pronuncias. Quænam igitur heic controversia est, quæ sopiri nequeat? Quin & alii mihi hac in re ὁμόψηφοι *propriè, literaliter, atque ex intentione Spiritus Sancti, verbis harum epistolarum delineari id quod Johannis tempore in Ecclesiis Asiæ agebatur:* ultro largientur, nec negaverit Coccejus. Verum, quo non obstante, id verum sit, *delineari in iis id quod in universali Ecclesia septem temporibus futurum erat.* Simile quid utique toties fere obtinet quoties una res aut typus est aut figura qualiscunque alterius. Et quandoquidem rei per aliam rem significatæ potissimum habenda ratio est, ægre ferre V. D. non poterit si & heic id observemus. Nec rarum est talia sæpe in typi, figuræ, delineationis descriptione reperire, quæ magis verent in re significata, quam quidem in typo. Quis negaverit, licet statuat e. g. Psalmum Quadragesimum Octavum de terrena ac typica Hierosolyma accipiendum, adeo ut *propriè, literaliter, atque ex mente Spiritus Sancti,* verbis illius describatur Hierosolyma, qualis fuit tempore Davidis, quis inquam negaverit esse tamen in illa descriptione talia, quæ magis verent in antitypica Hierosolyma quam in umbratili.

Quod ubi ſedata mente conſideraverit V.D. hanc dubio procul deprehendet eſſe controverſiam: ſi controverſia dicenda ſit; Nimirum an liceat plura eruere ex illis Epiſtolis, quam quidem primo obtutu ipſa verba & literæ menti objiciunt. Et, ſi liceat, an nefas ſit in libro prophetico examinare an non res ipſæ in illis Epiſtolis contentæ alias res ſignificent. Porro, ſi alias, annon igitur nonnulla ſint quæ in poſterioribus magis verent, quam in prioribus. Atque ita tandem, an illæ Epiſtolæ, ut fere reliqua libri pars, non ſint propheticæ. Manente eo inter prophetias, quæ Sigillis, Tubiciniis Phialis continentur, & eas quas in hiſce Epiſtolis reperimus, diſcrimine; quod in Epiſtolis, ſecus quam tu ſententiam noſtram deformaſti, ratio in anteceſſum ſit habenda earum rerum, quæ in Eccleſiis illis Aſiæ proprie ſic dictis gerebantur: poſtea faciendo tranſitu ad ea, quæ ſigillis tubiciniis & phialis parallela reperiuntur: ſingulatim in illius temporis Eccleſià, quæ illi ſigillo ac tubicinio non tantum, verum & illi Eccleſiæ reſpondeat Aſiaticæ.

Vide quam exigua tandem & nulla hæc controverſia futura ſit, tu, ſi in Aſia minori ſubſiſtendum putes, omnem operam adhibeas ut verborum omnium rem ſignificatam nobis digito monſtres & in illis Eccleſiis oſtendas omnia quæ in Epiſtolis memorantur. Si quid habeas, præter ea quæ jam dudum Launæus aliique, de hoc argumento ſcripto conſignarunt, candidus imperti, aut, Launæana, ut pluribus legantur, Latino idiomatè proferas, gratus nobis erit acceptuſque labor tuus. Nicolaitas in Epheſiis, in Smyrnenſibus decem dierum perſecutionem & Satanæ Synagogam ex hiſtoriis fide dignis erue. Compareat ſingulatim Pergami Antipas & thronus Satanæ ut & Nicolaitarum doctrina, non exorta jam, ſed nonnullis recepta. Jeſabelem nobis illam Thyatirenſem & ſimilia, explica clare & limpide quantum poteris, laboris tuis fructum gratulabor Eccleſiæ.

At ne ægre feras obſecro, ſi quis alius putet ſe, præter ea, quæ tu, partim ſolida, partim conjectanea heic profers, longius proſpicere: &, incolumi primo verborum ſenſu, alia heic cogitanda à Spiritu data eſſe. Inexhauſta eſt Spiritus ſapientia; qui ſæpe de uno loquens ad aliud alludit,

atque ita anſam ſuppeditat de utroque cogitandi. Videor utique mihi non videre tantum ſed manibus palpare nonnulla in illis Epiſtolis, quæ *non plene verificata* video in illa minoris Aſiæ Eccleſiæ cujus nomen illi aut illi Epiſtolæ præfigitur, utor regula à te præſcripta §. LIX. & *de Antitypo* ſentio *cogitandum eſſe*. De Nicolaitis meticuloſe loqueris. Nicolaum Diaconum damnatum hactenus ne quidem accuſare audes, error quis fuerit ipſe ignoras, ignoras originem, recurris ad neſcio quam tenuem Ligtfooti conjecturam. De decem diebus, quibus duratura Smyrnenſium calamitas dicitur, nihil habes quod dicas, hinc tu enervanda cenſes verba; quorum emphaſin alius ſe clare oſtendere poſſe autumat. De Balaamitis, de Antipa, Nicolaitis iterato memoratis, de Jezabele ita loqueris lubricè, ut vel ea ſola ſufficiant ad demonſtrandum, non plene hæc verificata in illis Eccleſiis reperiri, adeoque juxta regulam præſcriptam, heic de Antitypa cogitandum eſſe,

Id precor per te, per alios, liceat fratribus: ut unuſquiſque in ſimilibus ſuo quiſque abundet ſenſu. In reliquis quouſque una pervenimus idem ſentientes ac loquentes, procul habeamus controverſias, quas unicè fovet partium ſtudium. Tibi liberum ſit in Aſiaticis Eccleſiis ſubſiſtere, mihi ne crimini vertatur ſi ulterius progrediendum putem, incolumi veritate quæ ſecundum pietatem eſt, incolumi pace fraterna. At glorioſi regni in terra cum nullam in Epiſtolis mentionem videas, patiare oculis tuis paulo propius admoveam verba Chriſti, ad Eccleſiam Laodicenam, quæ ſeptima eſt: ſic habent, *qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & conſedi cum patre meo in throno ejus*. Adde verba Lamberti.

„Quid eſt ſedere cum Chriſto in Throno ejus, quam „regnare cum eo, & per eum, etiam eo loco ubi ipſe reg- „nat? Is locus eſt Eccleſia, in qua ſancti regnant per ip- „ſum Dominum Jeſum Chriſtum, de quorum regno mul- „ta habes. Danie: 7. Vide Pandectam noſtram Lib. 1.

Tu hæc de ſtatu poſt hanc vitam accipis. Obſervatio D. de Dieu docta eſt, ſed nec noſtræ nocet, nec prodeſt tuæ ſen-

ſententiæ. Verum ea quæ Lamberti alludit Danielis verba, de tali ſeſſione loquentia, palam de ſtatu Eccleſiæ in hac vita accipi debent, quid ni & hæc illis prorſus parallela?

Nec verum eſt; ſingulas Epiſtolas deſinere promiſſione ſequentis vitæ, niſi & in cælis beati *paſturi* ſint *gentes ſceptro ferreo* Cap. II. 26. Et *Hieroſolyma*, quando *deſcendere de cælo dicitur*, ſit pars illa Eccleſiæ triumphans Cap. III. 12.

Aliud exemplum in Novo Teſtamento non reperiri, in quo Eccleſiæ ſint aliorum delineatio, quæque præterea heic obtenduntur à V. D. in præſenti non diſcutiam. Neque opus eſt, cum plura ſint quæ ſemel occurrant, quibuſque ſimilia non reperias.

Sufficiet in præſenti docuiſſe, nec Veteres nobis deeſſe, nec, ut loqui V. D. plus ſemel amat: *noviores* interpretes, qui tam de Septem Eccleſiis Aſiaticis, quam de Septem periodis in genere id doceant, quod tantopere in nobis carpere & temere novitatis accuſare nonnullis viſum fuit.

Unum adhuc monendum eſt. Paſſim auctores ſupra citatos, præ aliis quidem Pontificios, maximè autem qui ante aliquot ſecula ſcripſere, loqui de Sexto tempore, tanquam de tempore adventus Antichriſti; adeoque inde concludendum videri, maximam eorum nobiſcum diſſenſionem; utpote qui, Antichriſti lapſum ad illam referre ſoleamus periodum. Verum haud difficilis erit iſtius difficultatis ſolutio. Babilonem myſticam Eccleſiam Romanam dixerequam ſæpiſſimè, eamque ſexto repudiandam tempore pariter. Quin & Antichriſtianam Eccleſiam illius temporis Eccleſiam appellarunt plus ſemel. Antichriſtum autem κατ' ἐξοχὴν ſic dictum non concepere tanquam unum cum Eccleſia Romana: qui error noſtris hypotheſibus minimè repugnat, quin in minus accurata genuinæ ſignificationis vocabuli acceptione unicè verſatur. Cum Antichriſto confligendum fore, ſexto potiſſimum tempore, rectè judicaverunt: quippe validiſſimè ſe oppoſituro iis, qui exitium parabunt. Exerturus igitur quam maximè vires & moturus

turus lacertos erat eo rempore. Unde illi ex vero locuti ſunt, dictaque eorum licet nobis adverſari videantur, cum noſtris tamen cogitatis exacte conveniunt. Nam & ſtrenuiſſimè prœliaturus erat Antichriſtus & ſuccubiturus turpiſſimè eodem tempore: repetitis plus ſemel conflictibus comprimendus magis & magis; uſque dum Babilon illa, lapidis inſtar, in abyſſum maris conjiceretur; id quod indies expectare juxta prophetias nemini vitio verti poteſt. Apoc. XVIII. 21.

FINIS.



NO-


NOTATORUM SUMMA.

Quare Sermoni nonnulla addiderim p. 47. De *Pythagoræis pauca.* De *Aureis Carminibus.* De *Magia Pythagoræ.* p. 48. *a Chaldæis an quid didicerit.* *Quaternarii mysteria* p. 49. *Joachimus Abbas non primus fata Eccl.* N. T. *ad septem retulit ætates.* Nova Creatio *respondens Veteri in unoquoque peccatore juxta Placæum. post Veteres Primasium & Augustinum* p. 50. *Sunt qui statuant præcedentis temporis historiam, quin & eam quæ Novi* T. *est, respondere septem primis diebus, eo quod diem judicii ultimi præ foribus esse putarent. Sunt qui seriem à mundi initio usque ad finem futurorum cum sex diebus creationis & Sabbatho conferant. Huc illi qui sex millenarios annorum sibi fingunt, quos sequatur millenarius Sabbathicus.* Barnabas p. 51. *Elias.* Biblander *à Christianis hæc ad Judæos transiisse conjicit* p. 52. *Lactantius.* Gaudentius. *Hieronymus.* Origenes, *Gregorius Nyssenus*, p. 53. *Augustinus*, Germanus *Constantinopolitanus*, *Allatius addit plures.* 54. *Receptissimam illam sententiam fuisse Menardus, Allatius*, Cottelerius *ex veteribus Theophilo Antiocheno*, Clemente *Alxandrino, Irenæo, Origene, Victorino, incerto auctore Altercationis Synagogæ & Eccl. evincunt.* p. 55. De *Octava ætate septem addita* Elias *Cretines*, *Ambrosius.* p. 56. Alii *Octavam diem addunt pro die Judicium ultimum sequente* Chrysostomus, *Ysichius.* p. 57. *Hieronymus, Hilarius*, *Athanasius Constit. Clementis*, *Basilius.* p. 58. *Accedit Anastasius Sianattia. Bungus de Numerorum Mysteriis qui hæc Platonicis accepta refert.* p. 59. *Nonnulli Hebdomadam Mysticam ab initio mundi ad finem usque denuo reccurrentem statuunt sub* N. T. *sic Petrus Aureolus.* p. 60. *Isichyus Presbyter*, *Andreas Cæsariensis.* p. 61. *Methodius.* p. 62. *Sunt qui putent plus semel observandam esse seriem septenariam quæ primæ hebdomadi respondeat*, *Zepperus.* Onus *Ecclesiæ, de quo Libro agitur.* p. 63. *Bis juxta alios, sic Auctor Theologiæ Allegoricæ.* p. 64. *Auctor Investigationis Futurorum &c. Jurieuus qui notatur.* p. 65. 66. *Tandem sunt qui tare repetitam statuunt rerum per septem ætates seriem Augustinus*, *Coccejus*, *Heideggerus*; *Suicerus.* *Hæc veritas adversus nuperum Scriptorem vindicatur.* p. 67. *Et res ipsa & verba* septem periodorum *reperiunda apud Veteres. Plus docent, quam septenarium tantum esse perfectionis numerum.* p. 68.

p. 68. *Nec successivis periodis repugnat, Haymo. Eas manifeste statuunt Clemens Alex. Irenæus, Chrisostomus Augustinus.* p. 69. 70. *Arethas.* p. 71. *De Primasio infeliciter pronunciat. V. D.* p. 72. *Sunt qui in Epistolis reperiant septem periodos, non item in sigillis & vice versa.* p. 73. *Primi Periodorum inventores non fuere Monachi in Papatu.* p. 74. *Joachimus Abbas defenditur adversus criminationes V. D.* p. 74. *Non arrogavit sibi charisma Propheticum.* p. 75. *Non est auctor Evang. Æterni.* p. 76. *Testibus Spanhemio, Knyghtono, Hofmanno, Ußhero, Eymerico.* p. 77.

Nec contrarium probant Centuriatores ex Henrico Erphurdiensi. Matthæus Paris ad partes vocatus. Concilium Lateranense. Gviljelmus de S. Amore. p. 78. *Schola Parisiensis. De Petro Johannis de Olivo, illius de septem periodis N. T. sententia hæreseos accusata ab Inquisitoribus.* p. 79. *Verba Petri Johannis.* p. 80. De Pegne *de ipso.* p. 81. *Sententia Inquisitorum c. aßertores septem Periodorum apud Baluzium. Epistola ad Papam Joh.* XXII. *de iisdem.* p. 82, 83, 84, 85. *Hubertinus à Casali quis, ejus scriptum de septem Statibus Ecclesiæ.* p. 85. *Voetius & Spanhemius de Ubertino,* p. 86. *Errat Flaccius quando auctorem dicit Libri qui Onus Ecclesiæ dicitur. Verba Ubertini de Ecclesia Romana Babilone.* p. 78. *Hugo de Sancto Caro quis; ejus verba de septem periodis.* p. 88. *Thomas sive Angelicus sive Anglicus de iisdem septem temporibus.* p. 90. 91. *Eadem fuit sententia Guiljelmi de S. Amore, verba ejus prolata.* p. 92. *Ejusdem sententiæ fuit Cosmas Hortulanus.* p. 93. *Johannes Gagnejus.* p. 94. 95. 96. *Fuit ea communis sententia, ut patet ex libro qui Onus Ecclesiæ dicitur.* p. 97. *Eadem docet Petrus Bulengerus.* p. 98. 103. *Cœlius Pannonius.* p. 104, 105, 106, *Quinam fuerint Serabaitæ. Jacobus de Paradiso in Libro de Septem statibus Ecclesiæ.* p. 107. 108. *Acad. Parisiensis, Johannes Huß. similia prorsus.* p. 111. *Blasius Viegas, à Lapide pariter,* p. 113. *Hæc sententia communis est. Placuit pluribus qui à Papatu discessere: singulatim Francisco Lamberti cujus prosopographia.* p. 114, 115, 116, *Ejus verba.* p. 117. 124. *De Lamberti sententia non recte ex Foxo judicat. V. D.* p. 125. *Saskerides.* p. 126. *Carolus Gallus, qui vindicatur.* p. 127. *Ejus verba.* p. 128. 131. *Prosopographia ex Revio.* p. 133. *De Alphonso Conrado Mantuano.* p. 134. *ejus verba, ut*

&



E R R A T A.

Pag. 8. l. 23. l. erroribus.
9. l. 5. l. Samio NB.
Pag. 15. l. 11. l. mentio.
29. l. 27. l. Aureolus.
36. l. 22. l. exprobrationem.
37. l. ult. l. veritatis.
39. l. 14. l. Huss.
42. l. 13. l. deterso.
55. l. 1. l. censum.
59. l. 18. l. sex.
---- l. 20. l. elaboratissimo.
63. l. 3. l. ἰπέχειν
64. l. 33. l. Israelitis
68. l. 12, 13, digestam atque jam tunc expositam fuisse
70. l. 5. l. illius civitatis
79. l. 19. l. 29. v. 24.
85. l. 32. l. Ymbertinus

F I N I S.